
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Db. 197

10583.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ENCOMIVM MORIÆ

ſive 183 M29

DES. ERAS. ROTEROD.

Declamatio,

In laudem Stulticiæ.

IVSTI LIPSI

SATYRA MENIPPEA.

Somnium.

Luſus in noſtri ævi Criticos.

P. CVNÆI

SARDI VENALES.

Satyra Menippæa

In huius ſæculi homines pleroſq; inepte eruditos.

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud IACOBVM MARCI,

CIↃ IↃ C XVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

AD

BIBLIOTHECAM

PRINCIPALEM

ARAVSIO-NASSAVIENSEM

DILLENBVRGICAM.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Magnificis, Ampliſsimis, prudentiaq́; & doctrina præſtantibus Viris

DOMINIS CONSVLIBVS ET SENATORIBVS

Inclytæ Reip. Roterodamenſis.

Dominis meis perpetuum colendis, obſervandis.

VIRI AMPLISSIMI ET PRVDENTISSIMI.

CVM magni illius civis veſtri DESIDERII ERASMI *ſapientiſſimi viri* MORIAN *in gratiam ſtudioſæ iuventutis in lucem edere animum induxiſſem; non diu mihi inquirendum fuit, cuius potiſſimum nomini hunc lepidum ſimul atque doctiſſimum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

libellum inſcriberem: quippe qui veſtro honori, me hoc quodcumque eſt debere ſciebam. Et cuinam potiori iure quam vobis offerrem? veſtra enim civitas hoc clariſſimum & adhuc ſine æmulo maximum nobis litterarum decus immo miraculum dedit: veſtræ inquã civitatis propria & præcipua hæc gloria eſt: licet nulli reliquarum famæ celebritate aut nominis ſplendore cedat.

Nec eſt ut quiſpiam hoc de nihilo putet, aut parvi etiam æſtimet: cum non minus Demoſthenis eloquentiâ quam Themiſtoclis fortitudine Athenienſium remp. illuſtratam, conſtet: & de Homeri patria ſeptem Græciæ civitates certaſſe legamus. Ipſam vero μωρίαν, *ſi fucato verborum lenocinio ornare conarer, næ ego eadem opera ſolem facibus adiuvare ſtuderem, cum adeo egregiè ſui ipſius decantet Encomium. Et ſanè quis unquã inexhauſtã viri eruditionem dignè æſtimare, quiſve divinum ipſius ingenium ſatis mirari poterit? quod ſi*

ullibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ullibi in hoc inprimis ſeſe exſerit opuſculo: quo num poſt hominum memoriam quidquam in hoc genere doctius prodierit non immerito quis dubitarit, ſive puriſſimam orationis elegantiam & ſuavitatem, ſive lepidum inventionis acumen ſpectemus. Cum vero in ea incidiſſet tempora, quibus homines nihil minus quam verum audirent, & παῤῥησία ferro & igni ut plurimum expiaretur, ne ſibi quoque idipſum fraudi eſſet, perſonam veritati obduxit. & ſicuti ille è Phrygia fabulator.

Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellam tranſtulit,
Calumniaſque fictis eluſit iocis.

ita & ille communem ſui temporis (quamvis de noſtro etiam mutato nomine ſæclo fabula narretur) exagitaturus ſtultitiam, inprimiſque craſſiſſimam bardi & cucullati illius pecoris ſtupiditatem & ignorantiam, ut eo maior di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ctis eſſet licentia, non Menippum aut Democritum aliquem induxit, ſed nova quadam ratione, ipſam ſtulticiam laudum ſuarum buccinatricem conſtituit. ideoque (ut de ſuis ſcribit fabulis ſuaviſſimus ille Phœdrus)

Duplex libello huic os eſt: quod
riſum movet,
Et quod prudentis vitam conſilio monet:

Et ſane ridentẽ dicere verũ Quis vetat? Diſcit enim citius meminitque libentius illud, Quod quis deridet, quam quod probat & veneratur. ut inquit Poeta.

Vos vero, Viri Ampliſsimi Prudentiſſimique, hunc veſtri civis libellum, qui ſub veſtri nominis auſpicijs nunc exuto ſenio, ſituque deterſo quaſi novus iterum in lucem prodit, ſereno vultu ſuſcipite, meoque huic qualicumque de vobis veſtraque rep. bene merendi ſtudio favete.

V. Amplitudini addictiſsimus
IACOBVS MARCI
Bibliopola Leidenſis.

Phæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Phædrus lib. III Fabul. Æſopiar.

SVſpicione ſi quis errabit
ſuâ,
Et rapiet ad ſe quod erit com-
mune omnium,
Stulte nudabit animi-conſcien-
tiam:
Huic excuſatum me velim ni-
hilominus:
Neque enim notare ſingulos
mens eſt mihi.
Verum ipſam vitam & mores
hominum oſtendere.

Que-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Querolus Prologo.

IN ludis autem ac dictis antiquam nobis veniam expoſcimus.
Nemo ſibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus.
Neque propriam ſibimet cauſam conſtituat communi ex ioco,
Nemo aliquid recognoſcat, nos mentimur omnia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ΜΩΡΙΑΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ, id eſt, *ſtulticiæ laus, Eraſmi Roterodami declamatio.*

Stvlticia loqvitvr.

VTcumque de me vulgo mortales loquuntur, neque enim ſum neſcia, quam male audiat ſtulticia etiam apud ſtultiſſimos, tamen hanc eſſe, hanc inquam eſſe unam, quæ meo numine deos atque homines exhilaro, vel illud abunde magnum eſt argumentum, quod ſimul atque in hunc cœtum frequentiſſimum dictura prodij, ſic repente omnium vultus nova quadam atque inſolita hilaritate enituerunt, ſic ſubito frontem exporrexiſtis, ſic lęto quodam & amabili applauſiſtis riſu, vt mihi profecto qnotquot vndiq; præſentes intueor, pariter deorum Homericorum nectare non ſine nepenthe temulenti eſſe videamini, cum antehac triſtes ac ſolliciti ſederitis, perinde quaſi nuper è Trophonij ſpecu reverſi. Cæterum quemadmodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

fieri conſuevit, vt cum primum ſol formoſum illud & aureum os terris oſtenderit, aut vbi poſt aſperam hyemem, novum ver blandis aſpirarit Favonijs, protinus nova rebus omnibus facies, novus color ac planè iuventa quędam redeat, ita vobis me conſpecta, mox alius acceſſit vultus. Itaque quod magni alioqui Rhetores, vix longa diuque meditata oratione poſſunt efficere, nempe vt moleſtas animi curas diſcutiant, id ego ſolo ſtatim aſpectu præſtiti. Quam ob rem autem hoc inſolito cultu prodierim hodie, iam audietis, ſi modo non gravabimini dicenti præbere aures, non eas ſanè quas ſacris concionatoribus, ſed quas fori circulatoribus, ſcurris ac morionibus conſueviſtis arrigere, quaſque olim Midas ille noſter exhibuit Pani. Lubitum eſt enim pauliſper apud vos Sophiſtam agere, non quidem huius generis, quod hodie nugas quaſdam anxias inculcat pueris, ac pluſquam muliebrem rixandi pertinaciam tradit, ſed veteres illos imitabor, qui quo infamem Sophorum appellationem vitarent, ſophiſtæ vocari maluerunt. Horum ſtudium erat, deorum ac fortium virorum laudes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

laudes encomijs celebrare. Encomium igitur audietis non Herculis, neque Solonis, ſed meum ipſius, hoc eſt, Stulticię. Iam vero non huius facio ſapientes iſtos qui ſtultiſſimum & inſolentiſſimum eſſe prædicant, ſi quis ipſe laudibus ſe ferat. Sit ſanè quàm volent ſtultum, modo decorum eſſe fateantur. Quid enim magis quadrat, quàm vt ipſa Moria, ſuarum laudum ſit buccinatrix, & αὐτὴ ἑαυτὴν αὐλῇ; Quis enim me melius exprimat quam ipſa me? Niſi ſi cui forte notior ſim, quam egomet ſum mihi. Quanquam ego hoc alioqui, non paulo etiam modeſtius arbitror quàm id quod optimatum ac ſapientum vulgus factitat, qui perverſo quodam pudore, vel rethorem quempiam palponem, vel poetam vaniloquum, ſubornare ſolent, eumque mercede conductum, à quo ſuas laudes audiant, hoc eſt, mera mendacia, & tamen verecundus interim ille, pavonis in morem pennas tollit, criſtas erigit, cum impudens aſſentator nihili hominem, dijs æquiparat, cum abſolutum omnium virtutum exemplar proponit, à quo ſciat ille ſe plus quam δὶς διὰ πασῶν abeſſe, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

corniculam alienis conveſtit plumis: cum τὸν αἰθίοπα λευκαίνει, denique cum ἐκ μυίας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ. Poſtremo ſequor tritum illud vulgi proverbium, quo dicitur is recte laudare ſeſe, cui nemo alius contigit laudator. Quanquam hic interim demiror mortalium ingratitudinem dicam, an ſegniciem, quorum cum omnes me ſtudioſe colant, meamque libenter ſentiant beneficentiam, nemo tamen tot iam ſeculis extitit, qui grata oratione Stulticię laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Buſirides, Phalarides, febres quartanas, muſcas, calvicia, atque id genus peſtes, accuratis magnaque & olei & ſomni iactura elucubratis laudibus vexerint. A me extemporariam quidem illam, & illaboratam, ſed tanto veriorem audietis orationem. Id quod nolim exiſtimetis ad ingenij oſtentationem eſſe confictum, quemadmodum vulgus oratorum facit. Nam hi, ſicuti noſtis, cnm orationem totis triginta annis elaboratam, nonnunquam & alienam proferunt, tamen triduo ſibi quaſi per luſum ſcriptam, aut etiam dictatam eſſe deierant.

Mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Mihi porro ſemper gratiſſimum fuit, ὅττικεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ dicere. At ne quis iam à nobis expectet vt iuxta vulgarium iſtorum Rhetorum conſuetudnem, meipſam finitione explicem, porro vt dividam, multo minus. Nam vtrumque ominis eſt inauſpicati, vel fine circumſcribere eam cuius numen tam late pateat, vel ſecare, in cuius cultum omne rerum genus ita conſentiat. Tametſi quorſum tandem attinet mei velut vmbram atque imaginem finitione repręſentare, cum ipſam me coram præſentes præſentem oculis intueamini? Sum etenim vti videtis, vera illa largitrix ἐάων quam Latini Stulticiam Gręci μωρίαν appellant. Quamquam quid vel hoc opus erat dicere, quaſi non ipſo ex vultu fronteque, quod aiunt, ſatis quæ ſim præ me feram, aut quaſi ſi quis me Minervam, aut Sophiam eſſe contendat, non ſtatim ſolo poſſit obtutu coargui, etiam ſi nulla accedat oratio, minime mendax animi ſpeculum. Nullus apud me fucis locus, nec aliud fronte ſimulo aliud in pectore premo. Sumque mei vndique ſimillima,

adeo vt necij me diſſimulare poſſint, qui maxime Sapientiæ perſonam ac titulum ſibi vendicant, καὶ ἐν τῇ πορφύρᾳ πίθηκοι; καὶ ἐν τῇ λεοντῇ ὄνοι obambulant. Quamvis autem ſedulo fingant, tamen aliunde prominentes auriculæ Midam produnt. Ingratum me Hercle & hoc hominum genus, qui cum maxime ſint noſtræ factionis, tamen apud vulgum cognominis noſtri ſic pudet, vt id paſſim alijs magni probri vice obijciant. Proinde iſtos cum ſint μωρότατοι re, cæterum ſophi ac Thaletes videri velint, nonne iure optimo μωροσόφους illos appellabimus? Viſum eſt enim hac quoque parte noſtri temporis rhetores imitari, qui planè deos eſſe ſeſe credunt, ſi hirudinum ritu bilingues appareant, ac præclarum facinus eſſe ducunt, latinis orationibus ſubinde græculas aliquot voculas, velut emblemata intertexere, etiam ſi nunc non erat his locus. Porro ſi deſunt exotica, è putribus chartis quatuor aut quinque priſca verba eruunt, quibus tenebras offundant lectori, videlicet, vt qui intelligunt, magis ac magis ſibi placeant: qui non intelli-

gunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

gunt, hoc ipſo magis admirentur, quo minus intelligunt. Quandoquidem eſt ſanè & hoc noſtratium voluptatum genus non inelegans, quam maxima peregrina maxime ſuſpicere, Quod ſi qui paulo ſunt ambitioſiores, arrideant tamen & applaudant, atque aſini exemplo τὰ ὦτα κινῶσι, quo cæteris probe intelligere videantur. καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. Nunc ad inſtitutum recurro. Nomen igitur habetis viri. Quid addam epitheti? Quid niſi ſtultiſſimi? Nam quo alio honeſtiore cognomine. Myſtas ſuos compellet dea Stulticia? Sed quoniam non perinde multis notum eſt, quo genere prognata ſim, id iam Muſis bene iuvantibus exponere conabor. Mihi vero neque Chaos, neque Orcus, neque Saturnus, neque Iapetus, aut alius id genus obſoletorum, ac putrium deorũ quiſpiam pater fuit. Sed πλοῦτος, ipſe vnus, vel invitis Heſiodo & Homero, atque ipſo adeo Ioue, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Cuius vnius nutu, vt olim, ita nunc quoque ſacra prophanaque omnia ſurſum ac

deorſum miſcentur. Cuius arbitrio bella, paces, imperia, conſilia, iudicia, comitia, connubia, pacta, fœdera, leges, artes, ludicra, ſeria, iam ſpiritus me deficit, breviter, publica privataque omnia mortalium negocia adminiſtrantur. Citra cujus opem, totus ille poëticorum numinum populus, dicam audacius, ipſi quoque dij ſelecti, aut omnino non eſſent, aut certe οἰκόσιτοι ſanè quam frigide victitarent. Quem quiſquis iratum habuerit, huic ne Pallas quidem ſatis auxilij tulerit. Contra, quiſquis propicium, is vel ſummo Iovi, cum ſuo fulmine mandare laqueum poſſit. τοῦτου πατρὸς εὔχομαι εἶναι. Atque hic quidem me progenuit non è cerebro ſuo, quemadmodum tetricam illam ac torvam Palladem Iupiter, verum ex Neotete nympha multo omnium venuſtiſſima, pariter ac feſtiviſſima. Neque rurſum id triſti illi alligatus coniugio, quomodo faber ille claudus natus eſt, verum quod non paulo ſuavius ἐν φιλότητι μιχθεὶς, quemadmodum noſter ait Homerus, Genuit autem, ne quid erretis, non Ariſtopha-

nicus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nicus illle Plutus, iam capularis iam oculis captus, ſed quondam integer adhuc calidusque iuventa, neque iuventa ſolum verum multo magis nectare, quid tum forte in deorum cōvivio largius ac meracius hauſerat. Quod ſi locum quoque natalem requiritis, quandoquidem id hodie vel in primis ad nobilitatem intereſſe putant, quo loco primos ędideris vagitus, ego nec in erratica Delo, nec in vndoſo mari, nec ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι ſum ædita, ſed in ipſis inſulis fortunatis, vbi ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα omnia proveniunt. In quibus neque labor, neque ſenium, neque morbus eſt vllus, nec vſquam in agris aſphodelus, malua, ſquilla, lupinumve, aut fabra, aut aliud hoc genus nugarum conſpicitur. Sed paſſim oculis, ſimulque naribus adblandiuntur moly, panace, nepenthes, amaracus, ambroſia, lotus, roſa, viola, hyacinthus, Adonidis hortuli. Atque in his quidem nata delicijs, nequaquam a fletu ſum auſpicata vitam, ſed protinus blande arriſi matri. Iam vero non invideo τῶν ἰαπετῷ

κρονίωνι capram altricem, cum me duæ lepidiſſimæ nymphæ ſuis aluerint mammis, Methe Baccho progenita, & Apædia Panos filia. Quas hic quoque in cæterarum comitum ac pediſequarum mearum conſortio videtis. Quarum me Hercle nomina, ſi voletis cognoſcere, ex me quidem non niſi Græce audietis. Hæc nimirum quam ſublatis ſupercilijs conſpicamini, Φιλαυτία eſt. Huic quam velut arridentibus oculis, ac plaudentem manibus videtis, κολακία nomen. Hæc ſemiſomnis ac dormitanti ſimilis λήθη vocatur. Hęc cubito utroque innitens, conſertiſque manibus, μισοπονία dicitur. Hæc roſeo revincta ſerto, & vndique delibuta vnguentis, ἡδονὴ: hæc lubricis & huc atque illuc errantibus luminibus, ἄνοια dicitur. Hæc nitida cute, probeque ſaginato corpore τρυφὴ nomen habet. Videtis & deos duos, puellis admixtos, quorum alterum κῶμον vocant, alterum νήγρετον ὕπνον. Huius, inquam, famulitij fidelibus auxilijs genus omne rerum meę

ſubijcio

ſubijcio ditioni, ipſis etiam imperans imperatoribus. Genus, educationem, & comites audiſtis. Nunc ne cui ſine cauſa videar mihi deæ nomen vſurpare, quantis commoditatibus deos ſimul & homines adficiam, quamque late meum pateat numen, arrectis auribus accipite. Etenim ſi non inſcite ſcripſit quidam, hoc demum eſſe deum, iuvare mortales, & ſi merito in deorum ſenatum aſciti ſunt, qui vinum, aut frumentum aut vnam aliquam huiuſmodi commoditatem mortalibus oſtenderunt, cur non ego iure, deorum omnium ἄλφα dicar, habearq;, quæ vna omnibus largior omnia? Principio quid eſſe poteſt vita ipſa vel dulcius vel preciosius? At huius exordium cui tandem acceptum ferri convenit, niſi mihi? Neque enim aut ὀβριμοπάτρης haſta Palladis, aut νεφεληγερέτȣ Iovis ægis hominum genus vel progignit, vel propagat. Verum ipſe deum pater atque hominum rex, qui totum nutu tremefactat olympum, fulmen illud triſulcum ponat oportet, & vultum illum Titanicum, quo, cum lubet, Deos omneis ter-

ritat, planeque hiſtrionum more, aliena ſumenda miſero perſona, ſiquando velit id facere, quod nunquam non facit, hoc eſt παιδοποιεῖν. Iam vero Stoici ſe dijs proximos autumant. At date mihi terque quaterque, aut ſi libet, ſexcenties Stoicum, tamen huic quoque, ſi non barba inſigne ſapientiæ, etiam ſi cum hircis commune, certe ſupercilium erit ponendum, explicanda frons, abijcienda dogmata illa adamantina, ineptiendum ac delirandum aliquantiſper. In ſumma, me, me inquam, ſapiens ille accerſat oportet, ſi modo pater eſſe velit. Et cur non apertius meo more vobiſcum fabuler? Quæſo num caput, num facies, num pectus, num manus, num auris, quæ partes honeſtæ putantur, progenerant deos aut homines? Non opinor, imò ea pars adeo ſtulta, adeoque ridicula, vt nec nominari citra riſum poſſit, humani generis eſt propagatrix. Is demum eſt ſacer ille fons, vnde vitam hauriunt omnia, verius quam ille Pythagoricus quaternio. Age vero, qui vir obſecro matrimonij capiſtro velit præbere os, ſi quemadmodum iſti ſapientes facere conſueverunt, prius eius

vitæ

vitæ incommoda ſecum perpenderit. aut quæ tandem mulier virum admiſſura ſit, ſi partus periculoſos labores, ſi educationis moleſtiam, vel norit, vel cogitarit? Porro ſi coinugijs debetis vitam, coniugium autem debetis ἀνοίας pediſequæ, mihi nimirum quid debeatis, intelligitis. Tum quæ ſemel hæc experta, denuo repetere velit, niſi λήθης præſens numen adfuerit? Neque vero id Venus ipſa vel reclamante Lucretio vnquam inficias iverit, ſine noſtri numinis acceſſione, ſuam vim mancam atque irritam eſſe. Itaque ex noſtro illo temulento ridiculoq; luſu, proveniunt, & ſupercilioſi philoſophi, in quorum locum nunc ſucceſſere, quos vulgus monachos appellat, & purpurei reges, & pij ſacerdotes, & ter ſanctiſſimi pontifices. Poſtremo totus etiam ille deorum poeticorum cœtus, adeo frequens, vt turbam vix iam ipſe capiat olympus, tametſi ſpacioſiſſimus. At ſanè parum ſit mihi vitæ ſeminarium, ac fontem deberi, niſi quicquid in omni vita commodi eſt, id quoque totum oſtendero mei muneris eſſe. Quid autem hæc,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

num omnino vita videtur appellanda, ſi voluptatem detraxeris? Applauſiſtis. Equidem ſciebam neminem veſtrum ita ſapere, vel deſipere magis, imo ſapere potius, vt in hac eſſet ſententia. Quanquam ne Stoici quidem iſti voluptatem aſpernantur, tametſi ſedulo diſſimulant, milleque convicijs eam apud vulgus dilacerant, nimirum vt deterritis alijs, ipſi prolixius fruantur. Sed dicant mihi per Iovem, quæ tandem vitæ pars eſt, non triſtis, non infeſtiva, non invenuſta, non inſipida, non moleſta, niſi voluptatem, id eſt, ſtulticiæ condimentum adiunxeris? Cuius rei cum ſatis idoneus teſtis eſſe poſſit, ille nunquam ſatis laudatus Sophocles, cujus extat pulcherrimum illud de nobis elogium ἐν τῶ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος, tamen age rem omnem ſingulatim aperiamus. Principio quis neſcit primam hominis ætatem multo lætiſſimam multoque omnibus gratiſſimam eſſe? quid eſt enim illud in infantibus, quod ſic exoſculamur, ſic amplectimur, ſic movemus, vt hoſtis etiam huic ætati ferat opem, niſi ſtulticiæ le-

noci-

nocinium, quod data opera prudens natura, recens natis adjunxit, vt aliquo voluptatis velut autoramento, & educantium labores delinire queant, & tuentium favores eblandiantur? Deinde quæ ſuccedit huic adoleſcentia quàm eſt apud omnes gratioſa, quam illi candide favent omnes, quàm ſtudioſe provehunt, quam officioſe porrigunt auxiliares manus? At vnde quæſo iſta juventæ gratia? vnde niſi ex me? cujus beneficio quàm minimum ſapit, atque ob id quam minime ringitur. Mentior niſi mox vbi grandiores facti per rerum vſum, ac diſciplinas virile quiddam ſapere cœperint, continuo defloreſcit formæ nitor, langueſcit alacritas, frigeſcit lepos, labaſcit vigor. Quoque longius à me ſubducitur, hoc minus minuſque vivit, donec ſuccedat τὸ χαλεπὸν γῆρας, id eſt, moleſta ſenectus, non iam alijs modo, verum etiam ſibimet inviſa. Quæ quidem prorſum nulli mortalium foret tolerabilis, niſi rurſum tantorum miſerta laborum dextra adeſſem, & quemadmodum dij poetarum ſolent pereuntibus aliqua metamorphoſi ſuccurrere, itidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dem ego quoque jam capulo proxi-
mos denuo quo ad licet, ad puericiam
revocarem. Vnde non abs re vulgus eos
παλίμπαιδας appellare conſuevit.
Porrò ſi quis transformandi ratio-
nem requirat, ne id quidem cœla-
rim. Ad Lethes noſtræ fontem,
nam in inſulis fortunatis oritur (ſi-
quidem apud inferos tenuis modo ri-
vulus labitur,) eos produco, ut ſi-
mul atque illic longa potarint ob-
livia, paulatim dilutis animi curis re
pubeſcant. At iſti jam delirant, in-
quiunt, jam deſipiunt. Eſto ſanè.
Sed iſtuc ipſum eſt repueraſcere. An
vero aliud eſt puerum eſſe quàm deli-
rare, quàm deſipere? An non hoc vel
maxime in ea delectat ætate, quod ni-
hil ſapit? Quis enim non ceu porten-
tum oderit. atque execretur puerum
virili ſapientia? Aſtipulatur & vulgo
jactatum proverbium. Odi puerulum
præcoci ſapientia. Quis autem ſu-
ſtineret habere commercium aut
conſuetudinem cum eo ſene, qui ad
tantam rerum experientiam, parem
animi vigorem, judicijque acrimo-

niam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

niam adjunxiſſet? Itaque delirat ſenex meo munere. Sed tamen delirus iſte meus interim miſeris illis curis vacat, quibus ſapiens ille diſtorquetur. Interim non ille lepidus eſt compotor. Non ſentit vitæ tædium, quod robuſtior ætas vix tolerat. Nonnunquam cum ſene Plautino ad tres illas literas revertitur, infeliciſſimus ſi ſapiat. At interim meo beneficio felix, interim amicis gratus, ne congerro quidem infeſtivus. Quandoquidem & apud Homerum è Neſtoris ore fluit oratio melle dulcior, cum Achillis ſit amarulenta, & apud eundem ſenes in mœnibus conſidentes, τὴν λειριόεσσαν vocem ædunt. Quo quidem calculo ipſam etiam ſuperant puericiam, ſuavem quidem illam, ſed infantem, ac præcipuo vitæ oblectamento, puta garrulitate carentem. Addite huc quod pueris quoque gaudeant impenſius ſenes, ac pueri viciſſim ſenibus delectantur, ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Quid enim inter illos non convenit, niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quod hic rugoſior & plures numerat natales? Alioqui capillorum albor, os edentulum, corporis modus minor, lactis appetentia, balbuties, garrulitas, ineptia, oblivio, incogitantia, breviter omnia cætera congruunt. Quoque magis accedunt ad ſenectam, hoc propius ad puericiæ ſimilitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis ſenſum emigrant è vita. Eat nũc qui volet, & hoc meum beneficium cum reliquorumedorum metamorphoſi comparet. Qui quid irati faciant, non libet commemorare, ſed quibus quam maxime propitij ſunt, eos ſolent in arborem, in avem, in cicadam aut etiam in ſerpentem transformare: quaſi vero non iſtud ipſum ſit perire, aliud fieri. Ego vero hominem eundem optimæ ac feliciſſimæ vitæ parti reſtituo. Quod ſi mortales prorſus ab omni ſapientiæ commercio temperarent, ac perpetuo mecum ætatem agerent, ne eſſet quidem vllum ſenium, verum perpetua iuventa fruerentur felices. An non videtis tetricos iſtos & vel Philoſophiæ ſtudijs, vel ſerijs & arduis addictos negocijs, plerunque priuſquam planè iuvenes ſint,
iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

iam conſenuiſſe, videlicet curis, & aſſidua acrique cogitationum agitatione ſenſim ſpiritus & ſuccum illum vitalem exhauriente? Cum contra Moriones mei pinguiculi ſint, & infidi & bene curata cute, planè χοῖροι, quod aiũt, ἀκαρνάνιοι, nunquam profecto ſenectutis incommodum vllum ſenſuri, niſi non nihil, vt fit, ſapientum contagio inficerentur. Adeo nihil patitur hominum vita, omni ex parte beatum eſſe. Accedit ad hęc vulgati proverbij non leve teſtimonium, quo dictitãt, Stulticiam vnam eſſe rem, quæ & iuventam alioqui fugaciſſimam remoretur, & improbam ſenectam procul arceat. Vt non temere de Brabantis populari ſermone iactatum ſit, Cum cęteris hominibus ætas prudentiam adferre ſoleat, hos quo propius ad ſenectam accedunt, hoc magis atque magis ſtulteſcere. Atqui hac gente non eſt alia vel ad communem vitæ conſuetudinem feſtivior, vel quæ minus ſentiat ſenectutis triſticiam. His quidem vt loco, ita & vitæ inſtituto confines ſunt Hollandi mei, cur enim non meos appellem, vſqueadeo ſtudio-

ſos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſos mei cultores, vt inde vulgo cognomen emeruerint? cuius illos adeo non pudet, vt hinc vel præcipue ſeſe iactitent. Eant nunc ſtultiſſimi mortales, & Medeas, Circes, Veneres, Auroras, & fontem neſcio quem requirant, quo ſibi iuventam reſtituant, cum id ſola præſtare & poſſim & ſoleam. Apud me ſuccus eſt ille mirificus, quo Mennonis filia Tithoni avi ſui iuventam prorogavit. Ego ſum Venus illa, cuius favore Phaon ille repubuit, ita vt à Saphone tantopere deamaretur. Meæ ſunt herbæ ſi quæ ſunt, mea precamina, meus ille fons, qui non ſolum revocat elapſam adoleſcentiam, ſed, quod eſt optabilius, perpetuam ſervat. Quod ſi omnes huic ſententiæ ſubſcribitis, adoleſcentia nihil eſſe melius, ſenectute nihil deteſtabilius, quantum mihi debeatis videtis opinor, quæ tantum bonum retineam, tanto excluſo malo. Sed quid adhuc de mortalibus loquor? Cœlum omne luſtrate, & mihi meum nomen opprobret, licebit, quicunque volet, ſi quem omnino deorum repererit non inſuavem & aſpernabi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nabilem, niſi meo numine commendetur. Etenim cur ſemper ephebus & comatus Bacchus? Nempe quia vecors ac temulentus, convivijs, ſaltationibus, choreis, luſibus vitam omnem tranſigens ne tantulum quidem habet cum Pallade commercij. Denique tantum abeſt, vt ſapiens haberi poſtulet, vt ludibrijs ac iocis coli gaudeat. Neque proverbio offenditur, quod illi fatui cognomentum attribuit, id eſt huiuſmodi, μωρύχου μωρότερος. Porrò Morycho nomen verterunt, quod illum pro templi foribus ſedentem, muſto ficiſque recentibus, agricolarum laſcivia conſueverit oblinere. Tum autem quid non ſcommatum in hunc vetus iacit comœdia? O inſulſum, inquiunt, deum, & dignum qui ex inguine naſceretur. At quis non malit hic fatuus & infulſus eſſe, ſemper feſtivus, ſemper pubeſcens, ſemper omnibus luſus ac voluptatem adferens, quàm vel ἀγκυλομήτης ille Iupiter omnibus formidabilis, vel Pan ſuis tumultibus omnia ſenio

vitians

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

vitians, vel favillis oppletus Vulcanus ac ſemper officinæ laboribus ſqualidus, aut Pallas etiam ipſa, ſua Gorgone & haſta terribilis καὶ ἀεὶ ἐνορῶσα δριμύ. Cur ſemper puer Cupido? niſi quia nugator eſt, καὶ μηδὲν ὑγιὲς neque facit neque cogitat? Cur aureæ Veneri ſemper vernat ſua forma? Nimirum, quia mecum habet affinitatem, vnde & patris mei colorem vultu refert, atque hac de cauſa eſt apud Homerum, χρυσῆ ἀφροδίτη. Deinde perpetuo ridet, ſi quid modo poetis credimus, aut horum æmulis ſtatuarijs. Quod numen vnquam religioſius coluere Romani, quàm Floræ omnium voluptatum parentis? Quanquam ſi quis etiam tetricorum deorum vitam diligentius requirat ab Homero, reliquiſque poetis, reperiet ſtulticię plena omnia. Quid enim attinet reliquorum facta commemorare, cum Iovis ipſius fulminatoris amores ac luſus probe noritis? cum ſevera illa Diana oblita ſexus, nihil aliud quam venetur, Endymionem interim depeperiens? Verum illi ſua facinora à Momo audiant malim, à quo ſæpius quondam audire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

audire ſolebant. Sed hunc nuper irati vna cum Ate in terras pręcipitem dederunt, quod ſapientia ſua felicitati deorum importunus obſtreperet, Neque mortalium vllus exulem dignatur hoſpitio, tantum abeſt vt illi in principum aulis ſit locus, in quibus tamen mea κολακία primas tenet, cui cum Momo non magis convenit, quam cum agno lupis. Itaque ſublato illo iam multo licentius ac ſuavius nugantur dij, vere ῥᾷον ἄγοντες, vt inquit Homerus, nullo videlicet cenſore. Quos enim non prębet iocos ficulnus ille Priapus? Quos non ludos exhibet furtis ac pręſtigijs ſuis Mercurius? Quin & Vulcanus ipſe in deorum convivijs γελωτοποιὸν agere conſuevit, ac modo claudicatione, modo cavillis, modo ridiculis dictis exhilarare compotationem. Tum & Silenus ille ſenex amator, τὸν κόρδακα ſaltare ſolitus, vna cum Polyphemo τὴν τερζανελό, Nymphis τὴν γυμνοποδίαν ſaltantibus. Satyri ſemicapri Atellanas agitant. Pan inſulſa quapiam cantiuncula riſum omnibus movet, quem ita malunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſunt, quam ipſas audire muſas, præcipue cum iam nectare cœperint madere. Porrò quid ego nunc commemorem, quæ probe poti dij poſt convivium agitent? adeo me Hercle ſtulta, vt ipſa nonnunquam à riſu temperare nequeam. At ſatius eſt in his Harpocratis meminiſſe, ne forte nos quoqne Corycæus aliquis deus auſcultet, ea narrantes, quę ne Momus quidem impune proloquutus eſt. Sed iam tempus eſt, vt ad Homericum exemplar relictis cœlitibus viciſſim in terram demigremus, quamquam ibi nihil lætum, aut felix, niſi meo munere, diſpiciamus. In primis videtis, quanta providentia natura parens & humani generis opifex, illud caverit, ne vſquam deeſſet ſtulticiæ condimentum? Etenim cum Stoicis definitoribus nihil aliud ſit ſapientia, quam duci ratione: contra ſtulticia, affectuum arbitrio moveri, ne planè triſtis ac tetrica eſſet hominum vita, Iupiter quanto plus indidit affectuum quam rationis? quaſi ſemiunciam compares ad aſſem. Præterea rationem in anguſtum capitis angulum relegavit, reliquum omne corpus perturbationibus

reliquit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

reliquit. Deinde duos quaſi tyrannos violentiſſimos uni oppoſuit: iram, quę præcordiorum arcem obtinet, atque adeo ipſum vitæ fontem, cor: & concupiſcentiam, quæ ad imam uſque pubem latiſſime imperium occupat. Adverſus has geminas copias quantum valeat ratio, communis hominum vita ſatis declarat, cum illa, quod unum licet, vel uſque ad ravim reclamat, & honeſti dictat formulas, verum hi laqueum regio ſuo remittunt, multoque odioſius obſtrepunt, donec iam ipſe quoque feſſus ultro cedit, ac manus dat. Cęterum quoniam viro adminiſtrandis rebus nato, pluſculum de rationis unciola erat aſpergendum, ut huic quoque pro virili conſuleret, me hic ſicut in cæteris in conſilium adhibuit, moxque conſilium dedi me dignum: nempe uti mulierem adiungeret: animal videlicet ſtultum quidem illud atque ineptum, verum ridiculum & ſuave, quo convictu domeſtico, virilis ingenij triſticiam, ſua ſtulticia condiret atque edulcaret. Nam quod Plato dubitare videtur, utro in genere ponat mulierem, rationalium animantium, an brutorum, nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

aliud voluit, quàm inſignem eius ſexus ſtulticiam indicare, Quod ſi qua forte mulier ſapiens haberi voluerit, ea nihil aliud egerit quam ut bis ſtulta ſit, perinde quaſi bovem aliquis ducat ad ceroma, invita reluctanteque, ut aiunt, Minerva. Conduplicat enim vitium, quiſquis contra naturam virtutis fucum inducit, atque alio deflectit ingenium. Quemadmodum, iuxta Græcorum proverbium, ſimia ſemper eſt ſimia, etiam ſi purpura veſtiatur: Ita mulier ſemper mulier eſt, hoc eſt ſtulta, quamcunque perſonam induerit. Neque vero mulierum genus uſque adeo ſtultum arbitror, ut eam ob rem mihi ſuccenſeant, quod illis & ipſa mulier, & ſtulticia ſtulticiam attribuam. Etenim ſi rem recta reputent via, hoc ipſum ſtulticiæ debent acceptum ferre, quod ſint viris multis calculis fortunatiores. Primum formæ gratiam, quam ille merito rebus omnibus anteponunt, cuiuſque præſidio in tyrannos etiam ipſos tyrannidem exercent. Alioqui unde nam horror ille formæ, hiſpida cutis, & barbæ ſylva, planè ſenile quiddam in viro, niſi à prudentiæ

vicio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

vicio, cum fœminarum ſemper læves malę, vox ſemper exilis, cutis mollicula, quaſi perpetuam quandam adoleſcentiam imitentur? Deinde quid aliud optant in hac vita, quam ut viris quam maxime placeant? Nónne huc ſpectant tot cultus, tot fuſi, tot balnea, tot compturę, tot unguēta, tot odores, tot componendi, pingendi, fingendique vultus, oculos, & cutem artes? Iam num alio nomine viris magis commendatæ ſunt, quam ſtulticiæ? Quid enim eſt, quod illi mulieribus non permittunt? At quo tandem autoramento, niſi voluptatis? Delectant autem fœminæ non alia re, quam ſtulticia, Id eſſe verum non ibit inficias, quiſquis ſecum reputarit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas agat nugas, quoties fœminea voluptate decreverit uti. Habetis igitur primum & præcipuum vitę oblectamentum, quo fonte proficiſcatur. Sed ſunt nonnulli, cum primis autem ſenes, bibaces quidem illi magis quàm mulieroſi, qui ſummam voluptatem in compotationibus conſtituunt. Equidem an ſit ullum lautum convivium, ubi mulier non adſit viderint alij, Illud certe conſtat, citra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſtulticiæ condimentum, nullum omnino
ſuave eſſe. Adeo ut ſi deſit, qui ſeu vera,
ſeu ſimulata ſtulticia riſum moveat, γε-
λωτοποιὸν quempiam vel mercede con-
ductum accerſant, aut riduculum ali-
quem paraſitum adhibeant, qui riden-
dis, hoc eſt, ſtultis dicterijs, ſilentium ac
triſticiā compotationis diſcutiat. Quor
ſum enim attinebat tot bellarijs, tot lau
ticijs, tot cupedijs onerare ventrem, niſi
& oculi pariter & aures, niſi totus ani-
mus, riſu, locis, leporibus paſceretur? At
iſtiuſmodi tragematum ego ſum archi-
tectrix unica. Quanquam illa ipſa iā in
convivijs ſolemnia, regē ſortiri talis, lu-
ſitare teſſeris, Philoteſijs invitare, certa-
re συμπεριφοραῖς, ad Myrtum canere,
ſaltare, geſticulari, non à ſeptē Græciæ ſo
phis, verum à nobis ad humani generis
ſalutem reperta ſunt. Atqui omnium
huiuſmodi rerum ea natura eſt, ut quo
plus habeant ſtulticię, hoc plus conferāt
vitæ mortalium, quæ ſi triſtis ſit, ne vita
quidem appellanda videatur. Triſtis au-
tem evadat oportet, niſi cognatum tędi
um, hoc genus oblectamentis abſterſe-
ris. Sederunt fortaſſis, qui hoc quoque
voluptatis genus negligant, & in ami-

corum charitate & conſuetudine acquieſcant, amicitiam dictitantes unam rebus omnibus anteponendam, quippe rem vſque adeo neceſſariam, vt nec aer, nec ignis, nec aqua magis. Rurſum adeo iucundam, vt qui hanc de medio ſuſtulerit, ſolem ſuſtulerit, adeo deniq; honeſtam, ſiquid tamen hoc ad rem pertinet, vt nec ipſi philoſophi vereātur eam inter præcipua bona commemorare. Sed quid, ſi doceo me huius quoq; tanti boni & puppim eſſe & prorā? Docebo autē non Crocodilitis, aut Soritis, ceratinis, aut alijs id genus dialecticorū argutijs, ſed pingui, quod aiunt, Minerva, rē igito propemodum oſtendā. Age, cōnivere labi, cęcutire, hallucinari in amicorū vitijs, quædam etiam inſignia vitia pro virtutibus amare, mirariq;, an non ſtulticię videtur affine? Quid cum alius exoſculatur nævum in amica, alium delectat polypus Agnæ, cum filium ſtrabonem appellat petum pater, quid inquam, hoc eſt, niſi mera ſtulticia? Clament terq; quaterq; ſtulticiā eſſe: at qui hæc una ſtulticia, & iūgit, iūctos & ſervat amicos. De mortalibus loquor, quorū nemo ſine vitijs naſcitur, optimus ille eſt,

qui minimis urgetur:cum interim inter ſapiẽtes iſtos deos,aut omnino non coaleſcit amicitia,aut tetrica quędã & inſuavis intercedit, nec ea niſi cũ pauciſſimis, nã cũ nullis dicere religio eſt, propterea quod maxima pars hominũ deſipit,imo nullus eſt,qui non multis modis deliret, & non niſi inter ſimiles cohæret neceſſitudo. Quod ſi quando inter ſeveros iſtos coierit mutua benevolentia, ea certe haudquaquam ſtabilis eſt, nec admodum duratura, nimirum inter moroſos & plus ſatis oculatos, ut qui in amicorum vitijs tam cernunt acutum, quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. At ipſi in proprijs vitijs quàm lippiunt, & quam non vident manticam in tergo pendentem. Itaque cum ea ſit hominum natura, ut nullum ingenium reperiatur non magnis obnoxium vitijs, Adde tantam animorum ac ſtudiorum diſſimilitudinem, tot lapſus, tot errata, tot caſus vitæ mortalis, quo pacto vel horam conſtabit inter Argos iſtos amicitię iucunditas,niſi acceſſerit ea, quam mire Græci εὐήθειαν appellant, hanc ſeu ſtulticiam, ſeu morum facilitatem vertas licebit. Quid autem? an non Cupido

omnis neceſſitudinis autor & parens, prorſum oculis captus eſt, cui quemadmodum (τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται), itidem intet vos quoque efficit, vt ſuum cuique pulchrum videatur, vt caſcus caſcam, perinde vt pupus pupam deamet. Hæc paſſim & fiunt & ridentur, ſed tamen hæc ridicula iucundam vitæ glutinant copulantque ſocietatem. Porrò quod de amicitia dictum eſt, id multo magis de coniugio ſentiendum, quod quidem nihil eſt aliud, quam individua vitę coniunctio. Deum immortalem, quę non divortia, aut etiam divortijs deteriora paſſim acciderent, niſi viri fœminæque domeſtica conſuetudo, per adulationem, per iocum, per facilitatem, errorem, diſſimulationem, meum utique ſatellitium, fulciretur, aleretur-que? Papæ, quam pauca coirent matrimonia ſi ſponſus prudenter exquireret, quos luſus delicata illa, ſicuti videtur, ac pudens virguncula iam multo ante nuptias luſerit? Tum quanto pauciora cohærerent inita, niſi plurima vxorum facta per viri vel negligentiam, vel ſtuporem laterent? Atque hęc quidem merito ſtulticiæ tribuuntur, verum ea in-

terim, prȩſtat, vt marito iucunda ſit vxor, vxori iucundus maritus, vt tranquilla domus, vt maneat affinitas. Ridetur, cuculus curruca, & quid non vocatur, cum mœchȩ lachrymas labellis exorbet. At quanto felicius, ſic errare, quàm zelotypiȩ diligentia quum ſeſe conficere, tum omnia miſcere tragœdijs? In ſumma vſque adeo nulla ſocietas, nulla vitȩ coniunctio ſine me vel iucunda, vel ſtabilis eſſe poteſt, vt nec populus principem, nec ſervum herus, nec herum pediſequa, nec diſcipulum præceptor, nec amicus amicum, nec maritum vxor, nec locator conductorem, nec contubernalis contubernalem, nec convictor convictorem diutius ferat, niſi viciſſim inter ſeſe nunc errent, nunc adulentur, nunc prudentes conniveant, nunc aliquo ſtulticiȩ melle ſeſe delineant. Iam hæc ſcio videri maxima, ſed audietis maiora. Quæſo num quenquam amabit, qui ipſe ſemet oderit? Num cum alio concordabit, qui ſecum ipſe diſſidet? Num ulli voluptatem adferet, qui ſibimet ipſi ſit gravis ac moleſtus? Iſtud opinor nemo dixerit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

niſi qui ſit ipſa ſtultior ſtulticia. Atqui ſi me excluſeris, adeo nemo poterit alterum ferre, vt ipſe etiam ſibi quiſque puteat, ſua cuique ſordeant, ſibi quiſque ſit inviſus. Quandoquidem id mali natura, non paucis in rebus noverca magis quam parens, mortalium ingenijs inſevit, pręcipue paulò cordatiorum, vt ſui quenque pœniteat, admiretur aliena. Quo fit vt omnes dotes, omnis elegantia, decorque vitæ vitietur, pereatque. Quid enim proderit forma, pręcipuum deorum immortalium munus, ſi putiditatis vitio contaminetur? Quid iuventa, ſi ſenilis triſticiæ fermento corrumpatur? Denique quid in omni vitæ munere vel tecum, vel apud alios acturus es cum decoro (eſt enim non artis modo, verum etiam omnis actionis caput, decere quod agas) niſi adſit dextra hęc Philautia, quæ mihi merito germanę eſt vice? Adeo ſtrenuue meas vbique partes agit. Quid autem æque ſtultum, atque tibiipſi placere? teipſum admirari? At rurſum quid venuſtum, quid gratioſum, quid non indecorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

corum erit, quod agas, ipſe tibi diſplicens? Tolle hoc vitę condimentum, & protinus frigebit cum ſua actione orator, nulli placebit cum ſuis numeris muſicus, explodetur cum ſua geſticulatione hiſtrio, ridebitur vnà ſuis cum muſis poeta, ſordebit cũ arte pictor, eſuriet cũ pharmacis medicus. Poſtremo pro Nireo Therſites, pro Phaone Neſtor, pro Minerva ſus, pro facundo infans, pro vrbano ruſticus videberis. In tantum neceſſe eſt vt ſibi quoque quiſque blandiatur, & aſſentatiuncula quapiam ſibi prius commendetur, quam alijs poſſit eſſe commendatus. Denique cum præcipua felicitatis pars ſit, vt quod ſis, eſſe velis, nimirum totum hoc pręſtat compendio mea Philautia, vt neminem ſuæ formæ, neminem ſui ingenij, neminem generis, neminem loci, neminem inſtituti, neminem patrię pœniteat, adeo vt nec Hirlandus cum Italo, nec Thrax cum Athenienſi, nec Scytha cum inſulis fortunatis cupiat permutare. Et o ſingularem naturæ ſollicitudinem, vt in tanta rerum varietate paria fecit omnia. Vbi dotibus ſuis nonnihil detraxit, ibi pluſculum Philautiæ ſolet addere, quan-
quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quam hoc ipſum ſtulte profecto dixi, cum hæc ipſa dos ſit vel maxima. Vt ne dicam interim, nullum egregium facinus adiri, niſi meo impulſu, nullas egregias artes, niſi me autore fuiſſe repertas. An non omnium laudatorum facinorum ſeges ac fons eſt bellū? Porrò quid ſtultius, quam ob cauſas, neſcio quas, certamen eiuſmodi ſuſcipere, vnde pars vtraque ſemper plus aufert incommodi, quam boni? Nam eorum qui cadunt, veluti Megarenſium οὐδεὶς λόγος. Dein cum iam vtrimque conſtitere ferratæ acies, & rauco crepuerunt cornua cantu quis oro ſapientum iſtorum uſus, qui ſtudijs exhauſti, vix tenui frigidoque ſanguine ſpiritum ducunt: craſſis ac pinguibus opus eſt, quibus quam plurimum adſit audaciæ, mentis quàm minimum. Niſi ſi quis Demoſthenem militem malit, qui Archilochi ſequutus conſilium, vix conſpectis hoſtibus, abiecto clypeo fugit tam ignavus miles quàm orator ſapiens. Sed conſilium, inquiunt, in bellis plurimum habet momenti. Equidem fateor in duce, verum id quidem militare, non philoſophicum, alioqui paraſitis, leno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nibus latronibus, ſicarijs, agricolis, ſtupidis, obæratis, & huiuſmodi mortalium fece res tam præclara geritur, non philoſophis lucernarijs. Qui quidem quàm ſint ad omnem vitæ uſum invtiles, vel Socrates ipſe vnus Apollinis oraculo ſapiens, ſed minime ſapienter iudicatus, documento eſſe poteſt, qui neſcio quid publice conatus agere, ſummo cum omnium riſu diſceſſit. Quanquam vir is in hoc non vſquequaque deſipit, quod ſapientis cognomen non agnoſcit, atque ipſi deo reſcribit, quodque cenſet ſapienti à Rep. tractanda abſtinendum eſſe, niſi quod potius monere debuerat, à ſapientia temperandum ei, qui velit in hominum haberi numero. Deinde quid eundem accuſatum ad cicutam bibendam adegit, niſi ſapientia? Nam dum nubes & ideas philoſophatur, dum pulicis pedes metitur, dum culicum vocem miratur; quæ ad vitam communem attinent, non didicit. Sed adeſt pręceptori de capite periclitanti diſcipulus Plato, egregius ſcilicet patronus, qui turbæ ſtrepitu offenſus, vix dimidiatã illam periodum pronunciare potuit. Iã quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dicam de Theophraſto? Qui progreſſus in concionem, protinus obmutuit, perinde quaſi repente lupo conſpecto, qui militem animaſſet in bello? Iſocrates ob ingenij timiditaté nec hiſcere vnquam eſt auſus M. Tullius eloquentiæ Romanę parés, ſemper indecora trepidatione, perinde quaſi puer ſingultiens exordiri conſuevit. Idque Fabius interpretatur cordati oratoris & periculum intelligentis argumentum. Verum cum hoc dicit, an non palàm fatetur ſapientiam obſtare ad rem probe gerendam? Quid iſti facient, cum res ferro geritur, qui tum metu exanimantur, cum nudis verbis eſt decertandum? Et poſt hæc celebratur, ſi dijs placet, præclara illa Platonis ſententia, beatas fore reſpublicas, ſi aut imperent philoſophi, aut philoſophentur imperatores. Imò ſi conſules hiſtoricos, reperies nimirum nullos reipublicæ peſtilentiores fuiſſe principes, quàm ſi quando in philoſophaſtrum aliquem vt literis addictum inciderit imperium. Cuius rei ſatis, opinor, faciunt fidem Catones: quorum alter inſanis delationibus Reipub. tranquil-

litatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

litatem vexavit, alter libertatem P. R. dum nimium ſapienter vindicat fundi-tus ſubvertit. Adde his Brutos, Caſſios, Gracchos, ac Ciceronem etiam ipſum, qui non minus peſtilens fuit Romano-rum Reip. quàm Demoſthenes Atheni-enſium. Porrò M. Antonius, ut donemus bonum imperatorem fuiſſe, nam id ip-ſum extorquere poſſim, fuit enim hoc ipſo nomine gravis. atque inviſus civi-bus, quod tam philoſophus eſſet, Sed tamen ut donemus fuiſſe bonum, at cer-te peſtilentior fuit Reip. tali relicto fi-lio, quàm fuerat ſua adminiſtratione ſa-lutaris. Quandoquidem ſolet hoc ho-minum genus, qui ſe ſapientiæ ſtudio dediderunt, cum cæteris in rebus, tum pręcipue in liberis propagandis infeli-ciſſimum eſſe, providẽte opinor natura, ne malum hoc ſapientię inter mortales latius ſerpat. Itaque Ciceroni degene-rem fuiſſe filium conſtat, & ſapiens ille Socrates liberos habuit matri ſimiliores quàm patri, ut non omnino peſſime ſcripſit quidam, id eſt, ſtultos. Sed ut-cunque ferendum, ſi tantum ad publica munia forent ὄνοι πρὸς λύραν, niſi ad omnem prorſus vitę functionem nihilo

eſſent

eſſent dexteriores. Ad convivium adhibe ſapientem, aut triſti ſilentio, aut moleſtis quæſtiunculis obturbabit. Ad chorum advoca, camelum ſaltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipſo vultu populi voluptatibus obſtabit, & cogetur è theatro migrare ſapiens Cato, quandoquidem ſupercilium non poteſt ponere. In coloquium inciderit, repente lupus in fabula. Si quid emendum, ſi contrahendum, breviter ſi quid eorum agendum, ſine quibus hęc quotidiana vita tranſigi non poteſt, ſtipitem dicas ſapientem iſtum, non hominem. Vſque adeo neque ſibi, neque patriæ, neque ſuis uſquam uſui eſſe poteſt, propterea quod communium rerum ſit imperitus & à populari opinione, vulgaribuſque inſtitutis longe lateque diſcrepet. Qua quidem ex re odium quoque conſequatur neceſſum eſt, nimirum ob tantam vitę atque animorum diſſimilitudinem. Quid enim omnino geritur inter mortales non ſtulticiæ plenum, idque à ſtultis, & apud ſtultos? Quod ſi quis unus univerſis velit obſtrepere, huic ego ſuaſerim, ut Timonem imitatus, in ſolitudinem aliquam demigret, atque ibi ſolus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

lus ſua fruatur ſapientia. Verum vt ad id, quod inſtitueram, revertar, quæ vis ſaxeos, quernos, & agreſtes illos homines in civitatem coegit, niſi adulatio? Nihil enim aliud ſignificat illa Amphionis & Orpheicithara. Quæ res plebem Romanam iam extrema molientem, in concordiam civitatis revocavit? Num oratio philoſophica? Minime. Imò ridiculus ac puerilis apologus de ventre, reliquiſque corporis membris confictus. Idem valuit Themiſtoclis apologus conſimilis de vulpe & ericio. Quæ ſapientis oratio tantundem potuiſſet, quantum cõmenticia illa cerva Sertorij potuit, quãtum Laconis illius de duobus canibus, deq; vellendis equinæ caudæ pilis ridendum modo dicti Sertorij commentum? Vt ne quid dicam de Minoem, deque Numa, quorum vterq; fabuloſis invẽtis ſtultam multitudinem rexit. Huiuſmodi nugis commovetur ingens ac potẽs illa belua, populus. At rurſum, quæ civitas vnquam Platonis, aut Ariſtotelis leges, aut Socratis dogmata recepit? Tum autẽ quæ res Decijs perſuaſit, vt vltro ſeſe dijs manibus devoverent? Quid Q. Curtium in ſpecum traxit, niſi inanis gloria, dulciſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ma quædam Siren, ſed mirum quam à ſapientibus iſtis damnata? Quid enim ſtultius inquiunt, quã ſupplicẽ candidatum blandiri populo, congiarijs favorẽ emere, venari tot ſtultorum applauſus, acclamationibus ſibi placere, in triumpho veluti ſignum aliquod populo ſpectandum circumferri, æneum in foro ſtare? Adde his nominum & cognominum adoptiones. Adde divinos honores homuncioni exhibitos, adde publicis cæremonijs in deos relatos etiam ſceleratiſſimos tyrannos. Stultiſſima ſunt hæc, & ad quæ ridenda non unus ſufficit Democritus. Quis negat? Atqui hoc fonte nata ſunt fortium horum facinora, quæ tot eloquentium virorum literis in cœlum tolluntur. Hæc ſtulticia parit civitates, hac conſtant imperia, magiſtratus, religio, cõſilia, iudicia, nec aliud omnino eſt vita humana, quàm ſtulticię luſus quidã. Iam vero vt de artibus dicã, quid tandẽ mortaliũ ingenia ad excogitãdas prodendasq; poſteris, tot egregias, vt putant, diſciplinas excitavit, niſi glorię ſitis? Tãtis vigilijs, tãtis ſudoribus, famã, neſcio quã, qua nihil eſſe poteſt inanius, redimendã putarunt homines verè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſtultiſſimi. Sed interim ſtulticiæ tot tam egregia vitæ commoda debetis, quodque eſt longe dulciſſimum, aliena fruimini inſania. Ergo poſteaquam mihi fortitudinis & induſtriæ laudem vindicavi, quid ſi prudentiæ quoque vindicem? Sed dixerit aliquis eadem opera ignem aquæ miſceas, licebit. Verum hoc quoq; ſucceſſurũ arbitror, ſi vos modo quod ante hac feciſtis, auribus atq; animis favebitis. Principio ſi rerũ uſu conſtat prudentia, in utrum magis cõpetet eius cognominis honos, in ſapientem, qui partim ob pudorẽ, partim ob animi timididatẽ nihil aggreditur, an in ſtultum, quem neque pudor, quo vacat, neque periculum, quod non perpendit, ab ulla re deterret? Sapiens ad libros veterum confugit, atque hinc meras vocum argutias ediſcit. Stultus adeundis cominuſque periclitandis rebus, veram (ni fallor) prudentiam colligit. Id quod vidiſſe videtur Homerus, etiamſi cæcus, cum ait ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Sunt enim duo præcipua ad cognitionem rerum parandam obſtacula, pudor qui fumum offundit animo, & metus, qui oſtẽſo periculo, dehortatur ab adeun

dis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dis facinoribus. At his magnifice liberat ſtulticia. Pauci mortales intelligunt ad quam multas alias quoque commoditates conducat, nunquam pudeſcere & nihil non audere. Quod ſi prudentiam accipere malunt eam, quæ rerum iudicio conſtat, audite obſecro quám procul abſint ab hac, qui hoc nomine ſeſe venditant. Principio conſtat res omneis humanas, velut Alcibiabis Silenos binas habere facies nimium inter ſeſe diſſimiles, Adeo ut qnod prima, ut aiunt, fronte mors eſt, ſi interius inſpicias, vita ſit: contra, quod vita, mors: quod formoſum, deforme: quod opulentum, id pauperrimum: quod infame, glorioſum : quod doctum, indoctum: quod robuſtum, imbecille : quod generoſum, ignobile : quod lætum, triſte: quod proſperum, adverſum : quod amicum, inimicum: quod ſalutare, noxium: breviter omnia repente verſa reperies, ſi Silenum aperueris. Id ſi cui forte nimis philoſophice dictum videtur, age pinguiore, quemadmodum dici ſolet, Minerva planius faciam. Quis regem non & opulentum, & dominum fatetur? Atqui nullis animi bonis iſtructus

eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eſt, atqui nihil illi ſatis eſt, iam videlicet pauperrimus eſt. Tum animũ habet plurimis addictum vitijs, iam turpiter ſervus eſt. Ad eundẽ modum in cæteris quoq; philoſophari liceret. Sed hoc exempli vice poſuiſſe ſatis ſit. At quorſum hæc? inquiet aliquis, Audite quò rem deducamus. Si quis hiſtrionibus in ſcena fabulam agentibns perſonas detrahere conetur, ac ſpectatoribus veras nativaſque facies oſtendere, nonne is fabulam omnem perverterit, dignuſque habeatur, quem omnes è theatro velut lymphatum ſaxis eijciant? Exorietur autem repente nova rerum ſpecies, vt qui modo mulier nunc vir: qui modo iuvenis, mox ſenex: qui paulo ante rex; ſubito Dama: qui modo deus, repente homunculus appareat. Verum eum errorem tollere, eſt fabulam omnem perturbare. Illud ipſum figmentum & fucus eſt, quod ſpectatorum oculos detinet. Porrò mortalium vita omnis quid aliud eſt quàm fabula quæpiam, in qua alij alijs obtecti perſonis procedunt, aguntque ſuas quiſque partes, donec choragus educat è proſcenio? Qui ſępe tamẽ eundẽ diverſo cultu prodire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

prodire iubet, vt qui modo regem purpuratum egerat, nunc ſervulum pannoſum gerat. Advmbrata quidem omnia, ſed hęc fabula non aliter agitur. Hic ſi mihi ſapiens aliquis cœlo delapſus, ſubito exoriatur, clamitetque hunc quem omnes vt deum ac dominū ſuſpiciunt, nec hominē eſſe, quod pecudū ritu ducatur affectibus, ſervum eſſe infimę ſortis quod tam multis, tāque fœdis dominis ſponte ſerviat. Rurſum alium, qui parentem extinctum luget, ridere iubeat, quod iā demū ille vivere cœperit, cum alioqui vita hæc nihil aliud ſit quam mors quædā. Porrò alium ſtēmatis gloriantē, ignobilē ac nothū appellet, quod à virtute lōge abſit, quæ ſola nobilitatis ſit fons, atq; eundē modū de cæteris omnibus loquatur, quæſo quid is alius egerit, niſi vt demēs ac furioſus omnibus eſſe videatur? Vt nihil eſt ſtultius prępoſtera ſapientia, ita perverſa prudētia nihil imprudētius. Siquidē perverſe facit, qui ſeſe non accommodat rebus præſentibus, foroq; nolit vti, nec ſaltē legis illius convivialis meminerit, ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι poſtuletq; vt fabula iā non ſit fabula. Contra, vere prudētis eſt, cū ſis mortalis, nihil

ultra

ultra ſortem ſapere velle, cumque univerſa hominum multitudine vel connivere libenter, vel comiter errare. At iſtud ipſum, inquiunt, ſtulticiæ eſt. Haud equidē inficias iverim, modo fateantur illi viciſſim hoc eſſe, vitæ fabulam agere. Cæterum illud ò dij immortales, eloquarne, an ſileam? Quur autem ſileam, cum ſit vero verius? Sed prçſtiterit fortaſſis in re tāta Muſas ex Helicone accerſere, quas poetę ſępius ob meras nugas advocare ſolēt. Adeſte igitur pauliſper Iovis filiæ, dum oſtendo nec ad egregiam illam ſapientiam, ac felicitatis, ut ipſi vocant, arcem, aditum eſſe cuiquam, niſi ſtulticia duce. Iam primum illud in confeſſo eſt, affectus omnes ad ſtulticiam pertinere: quandoquidem hac nota à ſtulto ſapientem diſcernunt, quod ilium affectus, hunc ratio temperat: eoque Stoici perturbationes omnes ceu morbos à ſapiente ſe movent: verum affectus iſti non ſolum pedagogorum vicę funguntur ad ſapientię portum properantibus, verumetiam in omni virtutis functione, ceu calcaria ſtimulique quidam adeſſe ſolent, velut ad bene agendum exhortatores, Quanquam hic fortiter recla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

mat bis Stoicus Seneca, qui prorſum omnem affectum adimit ſapienti. Verum cum id facit, iam ne hominem quidem relinquit, ſed novum potius deum quendam δημιουργεῖ, qui nuſquam nec extitit unquam, nec extabit: imò ut apertius dicam, marmoreum hominis ſimulacrum conſtituit, ſtupidum & ab omni prorſus humano ſenſu alienum. Proinde ſi libet, ipſi ſuo ſapiente fruantur, citraque rivalem ament licet, cumque eo vel in civitate Platonis, vel ſi malint, in idearum regione, vel in Tantalijs inhabitent hortis. Quis enim non iſtiuſmodi hominem ceu portentum ac ſpectrum fugitet horreatque, qui ad omnes naturę ſenſus obſurduerit, qui nullis ſit affectibus, nec amore, nec miſericordia magis cõmoveatur, quã ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes, quẽ nihil fugiat, qui nihil erret, ſed ceu Lynceus quiſpiã nihil nõ perſpiciat, nihil nõ ad amuſſim perpendat, nihil ignoſcat, qui ſolus ſeipſo ſit contentus, ſolus dives, ſolus ſanus, ſolus rex, ſolus liber, breviter omnia ſolus, ſed ſuo ſolius iudicio, qui nullum moretur amicum, ipſe amicus nemini, qui dijs quoque ipſis non dubitet mandare

dare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dare laqueum, qui quicquid in omni vita geritur, velut inſanum damnet, rideatque? Atqui huiuſmodi animal eſt abſolutus ille ſapiens. Quæſo ſi res agatur ſuffragijs, quæ civitas iſtiuſmodi magiſtratum ſibi velit, aut quis exercitus talem optet ducem? imò quę mulier id genus maritum, quis convivator eiuſmodi convivam, quis ſervus talibus moribus dominum vel optet, vel ferat? Quis autem non malit vel unum quemvis de media ſtultiſſimorum hominum plebe qui ſtultus ſtultis vel imperare poſſit, vel parere, qui ſui ſimilibus placeat, ſed quam plurimis, qui comis ſit in vxorem, iucundus amicis, bellus conviva, convictor facilis, poſtremo qui nihil humani à ſe alienum putet? Sed me quidem iam dudum iſtius ſapientis piget. Quare ad reliqua commoda ſeſe recipiat oratio. Agedum, ſi quis velut è ſublimi ſpecula circumſpiciat, ita vt Iovem interdum poetæ facere pręd icant, quod calamitatibus hominum vita ſit obnoxia, quàm miſera, quam ſordida nativitas, quàm laborioſa educatio, quot iniurijs expoſita pueritia, quot ſudoribus adacta iuventus, quàm gravis ſenectus,
quàm

quàm dura mortis neceſſitas, deinde in omni vita, quod morborum agmina infeſtent, quot immineant caſus, quot ingruant incõmoda, quàm nihil vſquam non plurimo felle tinctum, vt ne commemorem iſta, quæ homini ab homine inferuntur mala, quod genus ſunt, paupertas, carcer, infamia, pudor, tormenta, inſidiæ, proditio, convicia, lites, fraudes. Sed ego iam planè τὸν ἄμμον ἀναμετρεῖν aggredior. Porrò quibus admiſſis iſta commeruerint homines, aut quis deus iratus eos in has miſerias naſci coegerit, non eſt mihi fas in præſentia proloqui. Verum iſta qui ſecum perpendat, nonne Mileſiarum virginum probabit exemplum, etiamſi miſerandum? Atqui nam potiſſimum ſibi vitæ tædio fatum accerſivere? Nonne ſapientię confines? Inter quos, vt interim Diogenes, Xenocrates, Catones, Caſſios, ac Brutos ſileam, Chiron ille cum immortalem eſſe liceret, ultro mortem præoptavit. Videtis opinor, quid futurum ſit, ſi paſſim ſapiant homines: nempe altero luto, altero figulo Prometheo opus fore. Verum ego partim per ignorantiam, partim

per incogitantiam, nonunnquam per oblivionem malorum, aliquando ſpem bonorum, aliquoties nonnihil mellis voluptatibus aſpergens, ita tantis in malis ſuccurro, ut ne tum quidem libeat vitam relinquere, cum exacto Parcarum ſtamine, ipſa iamdudum eos relinquit vita, quóque minus ſit cauſæ, cur in vita manere debeant, hoc magis iuvet vivere tantum abeſt, ut ullo vitæ tedio tangantur, Mei nimirum muneris eſt, quod paſſim Neſtorea ſenecta ſenes videtis, quibus iam ne ſpecies quidem hominis ſuper eſt, balbos, deliros, edentulos, canos, caluos, vel ut magis Ariſtophanicis eos deſcribam verbis, ῥυπῶντας κυφοὺς, ἀθλίους, ῥυσοὺς, μαδῶντας, νωδοὺς, καὶ ψωλοὺς, tamen uſque adeo vita delectari adeoque νεανίζειν, ut alius tingat canos, alius appoſititia coma calvicium diſſimulet, alius dentibus utatur mutuo fortaſſis à ſue quopiam ſumptis, hic in puellam aliquam miſere depereat, & amatorijs ineptijs quemvis etiam ſuperet adoleſcentulum. Nam ut capulares iam, meraque ſilicernia, teneram aliquã iuvenculam ducant uxorem,

cam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eamque & indotatam, & alijs uſui futuram, id adeo frequens, ut propemodum & laudi detur. Sed multo etiam ſuavius ſi quis animadvertat anus, longo iam ſenio mortuas, adeoque cadaveroſas, ut ab inferis rediſſe videri poſſint, tamen illud ſemper in ore habere, φῶς ἀγαθὸν adhuc catulire, atque, ut Græci dicere ſolent, καπροῦν & magna mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis aſſidue vultum oblinere, nuſquam à ſpeculo diſcedere, infimæ pubis ſylvam vellere, vietas ac putres oſtentare mammas, tremuloque gannitu languentem ſolicitare cupidinē, potitare, miſceri puellarum choris, literulas amatorias ſcribere. Ridentur hæc ab omnibus, tanquam uti ſunt, ſtultiſſima: at ipſæ ſibi placent, & in ſummis interim verſantur delicijs, totaſque ſeſe melle perungunt, meo videlicet beneficio felices. Porrò quibus hæc deridicula videntur, illud ſecum expendant velim, utrum ſatius ducant huiuſmodi ſtulticia vitam planè mellitam exigere, an trabē, ut aiunt, ſuſpendio quærere. Porrò quod hæc vulgo putantur infamiæ obnoxia, iſtud nihil ad ſtultos meos, qui, malum hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

aut non ſentiunt, aut ſi quid ſentiunt, facile negligunt. Si ſaxum in caput incidat, id vere malum ſit. Cęterum pudor, infamia, probrum, maledicta, tantum adferunt noxę, quantum ſentiuntur. Si ſenſus abſit, ne mala quidem ſunt. Quid lędit, ſi totus populus in te ſibilet, modo tute tibi plaudas? Atque ut id liceat, ſola ſtulticia pręſtat. Sed mihi videor audire reclamantes philoſophos. At qui hoc ipſum eſt, inquiunt miſerum, ſtulticia teneri, errare falli, ignorare. Imò hoc eſt hominem eſſe. Porrò miſerum cur vocent, non video, quandoquidem ſic nati eſtis, ſic inſtituti, ſic conditi, ea eſt communis omnium ſors. Nihil autem miſerum, quod in ſuo genere conſtat, niſi forte quis hominem deplorandum exiſtimet, qui neque volare poſſit cum avibus, neque quaternis ingredi pedibus cum reliquo pecudum genere, neque cornibus ſit obarmatus quemadmodum tauri. Verum in eadem opera, equum etiam belliſſimum infelicem vocabit, quod neque grammaticam didicerit, neque placentis veſcatur: taurum miſerum, quod ad

ad palæſtricã ſit inutilis. Igitur ut equitis imperitus grãmaticę, miſer non eſt, ita nec homo ſtultus, infelix, propterea quod hęc cum illius natura cohærent. Verum rurſus urgent logodædali. Eſt, inquiunt, homini peculiariter addita diſciplinarum cognitio, quarum adminiculis id quod natura diminutum eſt, ingenio penſet. Quaſi vero ullam veri faciem habeat, naturam, quæ in culicibus, atque adeo in herbis ac floſculis tã ſollicite vigilaverit, in uno homine dormitaſſe, ut diſciplinis opus eſſet, quas Theutus ille humano generi infēſus genius, in ſummã perniciẽ excogitavit, adeo nõ utiles ad felicitatẽ, ut illi quoque ipſi officiant, ad quod proprie repertæ dicuntur, vt eleganter arguit apud Platonem, rex ille prudentiſſimus de literarum invento. Igitur diſciplinę cum reliquis humanæ vitæ peſtibus irrepſerunt, iiſdem autoribus, ã quibus omnia flagitia proficiſcuntur, puta demonibus, quibus hinc nomen etiam inventum, quaſi δαήμονας, hoc eſt, ſcientes appelles. Siquidem ſimplex illa aurei ſeculi gens, nullis armata

diſciplinis, ſolo naturæ ductu, inſtinctuque vivebat. Quorſum enim opus erat grammatica, cum eadem eſſet omnibus lingua, nec aliud ſermone petebatur, niſi ut alius alium intelligeret? Qui uſus dialectices, ubi nulla erat pugnantium inter ſe ſententiarum dimicatio? Quis rhetoricę locus cum nullus alteri negocium faceſſeret? Quorſum requireretur legum prudentia, cum abeſſent mali mores, ex quibus haud dubie bonæ leges prognatæ ſunt? Porrò religioſiores erant quàm ut impia curioſitate arcana naturę, ſyderum menſuras, motus, effectus, abditas rerum cauſas ſcrutarentur, nefas eſſe rati, ſi homo mortalis ultra ſortem ſuam ſapere conaretur. Iam quid extra cœlum eſſet, inquirendi dementia ne in mentem quidem veniebat. At labente paulatim ætatis aureæ puritate, primum a malis, ut dixi, genijs inventæ ſunt artes, ſed paucę, atque hę quidem à paucis receptę. Poſtea ſexcentas addidit Chaldęorum ſuperſtitio, & Græcorum ocioſa levitas, meras ingeniorum cruces, adeo ut vel una grammatica abunde ſatis ſit ad perpetuam vitę carnificinam, Quanquam inter has ipſas diſciplinas,
hæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

hæ potiſſimum in precio ſunt, quæ ad ſenſum communem, hoc eſt, ad ſtulticiam, quam proxime accedunt. Eſuriunt Theologi, frigent Phyſici, ridentur aſtrologi, negliguntur Dialectici. Solus ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἀνδρῶν. Atque in hoc ipſo genere, quo quiſque indoctior, audacior, incogitantiorque hoc pluris fit etiam apud torquatos iſtos principes. Atque medicina, præſertim ut nunc à compluribus exercetur, nihil aliud eſt quàm aſſentationis particula, non minus profecto quàm rhetorica. Secundum hos proximus datur locus leguleijs, & haud ſcio an primus, quorum profeſſionem, ne quid ipſa pronunciem, velut aſininam philoſophi magno conſenſu ridere ſolent. Sed tamen horum aſinorum arbitrio maxima minimaque negocia tranſiguntur. His latifundia creſcunt, cum theologus interim excuſſis totius divinitatis ſcrinijs, lupinum arrodit, cum cimicibus ac pediculis aſſidue bellum gerens. Vt igitur feliciores ſunt artes, quæ maiorem habent cum ſtulticia affinitatem, ita longe feliciſſimi ſunt hi, quib. prorſus licuit ab omnium diſciplinarum commercio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

abſtinere, ſolamque naturã ducem ſequi, quæ nulla ſui parte manca eſt, niſi forte mortalis ſortis pomeria tranſilire velimus. Odit natura fucos, multoque felicius provenit, quod nulla ſit arte violatũ. Agedum, an non videtis ex unoquoque reliquorum animantium genere ea feliciſſime degere, quę ſunt à diſciplinis alieniſſima, nec ullius magiſterio niſi naturæ ducuntur? Quid apibus aut felicius, aut mirabilius? At his ne corporis quidem omnes ſenſus adſunt. Quid ſimile in extruendis ædificijs reperit architectura? Quis unquam philoſophus ſimilem inſtituit rempublicam? Rurſum equus quoniam humanis ſenſibus affinis eſt, & in hominum contubernium demigravit, humanarum item calamitatum eſt particeps, Quippe qui non raro dum vinci pudet in certaminibus ducit ilia, & in bellis dum ambit triumphũ, confoditur, ſimulq; cũ ſeſſore terrã ore momordit. Vt ne cõmemorẽ interim lupata frena, aculeata calcaria, ſtabuli carcerem, ſcuticas, fuſtes, vincula, ſeſſorem, breviter omnem illam ſervitutis tragœdiam, cui ſe ultro addixit, dum fortes viros imitatus impenſius hoſtẽ ulciſci ſtudet. Quãto

opta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

optabilior muſcarum & avicularum vita, ex tempore ſoloque naturæ ſenſu degentium, modo per hominum inſidias liceat. Quę ſi quando caveis incluſæ aſſueſcant humanas ſonare linguas, mirum quàm a nativo illo nitore degenerent, Adeo modis omnibus lętius eſt, quod natura condidit, quàm quod fucavit ars. Proinde nunquam ſatis laudarim gallum illum Pythagoram, qui cum unus omnia fuiſſet, philoſophus, vir, mulier, rex, privatus, piſcis, equus, rana, opinor etiam ſpongia, tamen nullum animal judicavit calamitoſius homine, propterea quod cætera omnia naturæ finibus eſſēt cōtēta, ſolus homo ſortis ſuæ limites egredi conaretur. Rurſū inter homines, idiotas multis partibus anteponit doctis ac magnis, & Gryllus ille nō paulo plus ſapuit, quàm πολυμῆτις ὀδυσσεὺς, qui maluerit in hara grunnire, quā cū illo tot miſeris obijci caſibus. Ab his mihi nō diſſētire videtur Homerus, nugarū pater, qui cū mortales omneis ſubinde δειλοὺς καὶ μοχθηροὺς appellat, tū Vlyſſē illū ſuū ſapiētis exēplar ſępēumero δύστηνον vocat, Paridem nuſquā, nec Aiacem, nec

Achillem. Quam ob rem id tandem? Niſi quod ille vafer & artifex nihil non Palladis conſilio agebat, nimiumque ſapiebat, à naturæ ductu quàm longiſſime recedens? Vt igitur inter mortales, ij longiſſime abſunt á felicitate, qui ſapientię ſtudent, nimirum hoc ipſo bis ſtulti quod homines naticum ſint, tamen obliti conditionis ſuæ, deorum immortalium vitam affectant, & gigantum exemplo, diſciplinarum machinis, naturæ bellum inferunt, ita quam minime miſeri videntur ij, qui ad brutorum ingenium ſtulticiamq; quam proxime accedunt, neq; quicquam ultra hominem moliuntur. Age experiamur num hoc quoque non Stoicis enthymematis, ſed craſſo quopiam exemplo queamus oſtēdere. Ac per deos immortales, eſt ne quicquam felicius iſto homium genere, quos vulgo moriones, ſtultos, fatuos, ac bliteos appellant, pulcherrimis, ut equidem opinor, cognominibus? Rem dicam prima fronte ſtultam fortaſſis atque abſurdam, ſed tamen unam multo veriſſimam. Principio vacant mortis metu, non mediocri per Iovem malo. Vacant conſcientiæ carnificina. Non territantur

tantur

tantur manium fabulamentis. Non expaveſcunt ſpectris ac lemuribus, non torquentur metu impẽdentium malorum, non ſpe futurorum bonorum diſtẽduntur. In ſumma non dilacerantur milibus curarum, quibus hæc vita obnoxia eſt. Non pudeſcunt, non verentur, non ambiunt, non invident, non amant. Denique ſi propius etiã ad brutorum animantium inſipientiam acceſſerint, ne peccant quidẽ autoribus theologis. Hic mihi iam expendas velim ſtultiſſime ſapiens, quot undique ſolicitudinibus noctes dieſque diſcrucietur animus tuus, congeras in unum acervum univerſa vitæ tuæ incommoda, atque ita demum intelliges, quantis malis meos fatuos ſubduxerim. Adde huc, quod non ſolnm ipſi perpetuo gaudent, ludunt, cantillant, rident, verum etiam cæteris omnibus quocunque ſeſe verterint, voluptatem, iocum, luſum, riſumq; adferunt, velut in hoc ipſum à deorum indulgentia dati, ut humanæ vitę triſticiam exhilararent. Vnde fit, ut cum alijs in alios varius ſit affectus, hos omnes ex æquo tanquam ſuos agnoſcant, expetant, paſcant, foveant, complectantur, ſuccurrant, ſi quid acciderit: im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pune permittant, quicquid vel dixerint, vel fecerint. Adeoque nemo illis nocere cupit, ut feræ quoq; belluę ab illorũ iniuria temperent, ſenſu quonam innocentię naturali. Sunt enim veræ ſacri dijs præcipue mihi, adeoque nõ iniuria hunc honorem omnes illis habent. Quid quod ſummis etiam regibus adeo ſunt in delicijs, ut nonnulli ſine his neque prandere, nec ingredi, nec omnino vel horam durare poſſint. Neque vero paulo intervallo hos bliteos ſuis illis tetricis ſophis anteponũt, quos tamẽ ipſos aliquot honoris gratia ſolent alere. Cur autẽ anteponant, nec obſcurum arbitror, nec mirum videri debet, cum ſapiẽtes illi nil niſi triſte ſoleant adferre principibus, ſuaq; doctrina freti, non vereantur aliquoties auriculas teneras mordaci radere vero, Moriones autem id præſtent, quod unum undecunque principes modis omnibus aucupantur, iocos, riſus, cachinnos, delicias. Iam accipite & hanc non aſpernandam ſtultorum dotem, quod ſoli ſimplices ac veridici ſunt. Quid autem veritate laudatius? Quanquam enim Alcibiadeum apud Platonem proverbium, veritatem vino pue-

ritiæ-

rit iæque tribuit, tamen omnis ea laus mihi peculiariter debetur, vel Euripide teſte, cuius extat illud celebre de nobis dictum μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει. Fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu præ ſe fert, & oratione promit. At ſapientum ſunt duæ illę linguæ, ut idem meminit Euripides, quarum altera verum dicunt, altera quæ pro tẽpore iudicarint oportuna. Horum eſt nigrum in candida vertere, & eodẽ ex ore frigidum pariter & calidum efflare, longeque aliud conditum habere in pectore, aliud ſermone fingere. Porrò in tanta felicitate, tamẽ hoc nomine principes mihi vidẽtur infeliciſſimi, quod deeſt, à quo verum audiant, & aſſentatores pro amicis habere coguntur, Sed abhorrẽt à vero principum aures, dixerit aliquis, & hac ipſa de cauſa ſapiẽtes iſtos fugitãt, quod vereantur ne quis forte liberior exiſtat, qui vera magis quã iucũda loqui audeat. Ita quidem res habet, inviſa regibus veritas. Sed tamen hoc ipſũ mire in fatuis meis uſu venit, ut non vera modo verum etiã aperta cõvicia cum voluptate audiãtur, adeo ut idẽ dictum, quod ſi à ſapientis ore proficiſcatur, capitale fuerat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

futurum:à morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuinam quãdam delectandi vim veritas, ſi nihil accedat quod offendat: verum id quidem ſolis fatuis dij dederunt. Iiſdẽ ferme de cauſis hoc hominum genere mulieres gaudere ſolent impenſius, utpote ad voluptatẽ & nugas natura propenſiores. Proinde quicquid cum huiuſmodi factitarint, etiam ſi nonnunquam ſeriũ nimis, illæ tamen iocum ac luſum interpretantur, ut eſt ingenioſus, præſertim ad prætexenda commiſſa ſua, ſexus ille. Igitur ut ad fatuorum felicitatem redeam, multa cum iucunditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel ſenſu, rectà in campos Elyſios demigrant, & illic pias atque ocioſas animas luſibus ſuis delectaturi. Eamus nunc, & quemvis etiam ſapientem cum huius morionis ſorte conferamus. Finge iam mihi quod huic opponas exemplar ſapientiæ, hominem qui totam puericiam atque adoleſcentiam in perdiſcendis diſciplinis cõtriverit, & ſuaviſſimam vitæ partem, perpetuis vigilijs, curis, ſudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita vel tantillum voluptatis deguſtarit, ſem

per

per parcus, pauper, triſtis, tetricus, ſibi-ipſi iniquus ac durus, alijs gravis & inviſus, pallore, macie, valetudine, lippitudine confectus, ſenio canicieque multo ante diem contracta, ante diem fugiens è vita. Quanquam quid refert quando moriatur iſtiuſmodi, qui nunquam vixerit? Habetis egregiam illam ſapientis imaginem. At hic rurſus obganniunt mihi οἱ ἐκ τῆς στώας βάτραχοι. Nihil, inquiunt, miſerius inſania. Sed inſignis ſtulticia, vel inſanię proxima eſt, vel ipſa potius inſania. Quid enim aliud eſt inſanire, quàm errare animo? Sed iſti tota errant via. Age hunc quoque ſyllogiſmum diſſipemus, Muſis bene fortunantibus. Argute quidem iſti, verum quemadmodum apud Platonem docet Socrates, ex una Venere ſecta duas, & ex uno Cupidine diſſecto duos faciens: itidem & iſtos dialecticos decebat inſaniam ab inſania diſtinguere, ſi modo ipſi ſani videri vellent. Neq; enim protinus omnis inſania calamitoſa eſt. Alioqui non dxiſſet Horatius, An me ludit amabilis inſania: neque Plato poetarum, vatum, & amantium furorum inter præcipua vitæ bona collocaſſet: nec vates illa
labo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

laborem Aeneæ vocaſſet inſanum. Verum eſt duplex inſaniæ genus: alterum quod ab inferis diræ ultrices ſubmittunt, quoties immiſſis anguibus, vel ardorem belli, vel inexplebilem auri ſitim, vel dedecoroſum ac nefarium amorem, vel parricidium, inceſtum, ſacrilegium, aut aliam id genus peſtẽ aliquã in pectora mortalium invehunt, ſive cum nocẽtẽ & cõſcium animum, furijs ac terriculorum facibus agunt. Eſt alterum huic lõge diſſimile, quod videlicet à me proficiſcitur, omnium maxime exoptandum. Id accidit quoties iucundus quidã mentis error ſimul & anxijs illis curis animum liberat, & multijuga voluptate delibutum reddit. Atqui hunc mentis errorem ceu magnum quoddã deorum munus, ad Atticum ſcribens, optat Cicero, nimirum quo tantorum malorum ſenſu carere poſſet. Neque perperã ſenſit Argivus ille, qui hactenus inſaniebat, ut totos dies ſolus deſideret in theatro, ridens, plaudens, gaudens, quod crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil omnino ageretur, cũ in cęteris vitæ officijs probe ſeſe gereret, iucundus amicis, comis in uxorẽ, poſſet qui ignoſcere
ſervis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſervis, Et ſigno læſæ non inſanire lagenę.
Hunc ubi cognatorum opera datis pharmacis morbo levaſſet, ſibique iam totus eſſet redditus, hunc in modum cum amicis expoſtulans, Pol, me occidiſtis amici, Non ſervaſtis ait, cui ſic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratiſſimus error. Et merito quidẽ: errabãt enim ipſi, atq; elleboro magis opus habebant, qui tam felicem ac iucundam inſaniã, ceu malum aliquod, exiſtimarẽt potionibus expellẽdã. Quanquam illud equidem nondum ſtatui, num quivis ſenſus, aut mentis error, inſaniæ nomine ſit appellãdus. Neque enim ſi cui lippiẽti mulus aſinus eſſe videatur: aut ſi quis indoctum carmen veluti doctiſſimum admiretur, is cõtinuo videbitur inſanire. Verum ſi quis non ſenſu tantum, ſed animi iudicio fallatur, idque præter uſitatum morẽ ac perpetuo, is demũ inſaniæ cẽſebitur affinis eſſe, veluti ſi quis quoties aſinũ audierit rudentẽ, arbitretur ſeſe miros ſymphoniſcos audire, aut ſi quis pauperculus in fimo loco natus, Crœſũ Lydorũ regẽ eſſe ſe credat. Sed hoc inſaniæ genus ſi queẽadmodũ ferè fit, vergat ad voluptatẽ, nõ mediocrẽ delectationẽ

adfert

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

fert, tum ijs qui eo tenentur, tum illis quibus eſt hoc animadverſum, nec tamen eodē inſaniunt. Nā hęc inſaniæ ſpecies multo latius patet, quā vulgus hominum intelligit. Sed viciſſim inſanus inſanum ridet, ac mutuam ſibi voluptatem invicem miniſtrant, Neque raro fieri videtis, ut maior inſanus, vehementius rideat minorem. Verum hoc quiſque felicior, quo pluribus deſipit modis, Stulticia iudice, modo in eo genere inſaniæ maneat, quod nobis eſt peculiare, quod quidem uſque adeo late patet, ut haud ſciam, an ex univerſa mortalium ſumma quempiam liceat reperire qui omnibus horis ſapiat, quique non aliquo inſaniæ genere teneatur. Quāquam hoc tantum intereſt, qui cucurbitam cum videt, mulierem eſſe credit. huic inſano nomē ponunt, propterea quia per paucis id uſu veniat, Verum ubi quis uxorem ſuam, quam cum multis habet communem, pluſquam Penelopen eſſe deierat, ſibique maiorem in modum plaudit, feliciter errans, hunc nullus inſanum appellat, propterea quod paſſim maritis hoc accidere videant. Ad hunc ordinem pertinent & iſti, qui prę venatu ferarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

rarum omnia contemnunt, atque incredibilem animi voluptatem percipere ſe prædicant, quoties fœdum illum cornuum cantum audierint, quoties canum eiulatus. Opinor etiam cum excrementa canum ordorantur, illis cinnamomum videri. Deinde quę ſuavitas, quoties fera lanianda eſt? Tauros & verveces humili plebi laniare licet, feram niſi à generoſo ſecari nefas. Is nudo capite, inflexis genibus, gladio ad id deſtinato, neque enim quovis idem facere fas eſt, certis geſtibus, certa membra, certo ordine religioſe ſecat. Miratur interim perinde ut in re nova ſacraque, circunſtans tacita turba, quamvis ſpectaculum hoc plus milies viderit. Porrò cui contigerit è bellua nonnihil guſtare, is vero exiſtimat ſibi non parum nobilitatis accedere. Itaque cum iſti aſſidua ferarum inſectatione atque eſu, nihil aliud aſſequantur, niſi ut ipſi propemodum in feras degenerent, tamen interea regiam vitam agere ſe putant. Et his ſimillimum genus eorum, qui inſatiabili ædificandi ſtudio flagrant, nunc rotunda quadratis, nunc quadrata rotundis permutantes. Neque vero finis ullus, neque modus, donec ad

extre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

extremã redactis inoptam, nec ubi habitent, nec quid edant, ſuperſit. Quid tum poſtea? Interim annos aliquot ſumma cum voluptate peregerunt. Ad quos mihi quidem proxime videntur accedere, qui novis & arcanis artibus, rerũ ſpecies vertere moliũtur, ac terra marique quintã quandã eſſentiã venantur. Hos adeo lactat mellita ſpes, ut neque laborum, neq; impẽſarum unquã pigeat, miroque ingenio ſemper aliquid excogitãt, quo ſeſe denuo fallãt, ſibiq; ipſis gratam faciant impoſturam, donec abſumptis omnibus, non ſit quo iã fornaculam inſtruant. Non deſinunt tamen iucunda ſomniare ſomnia, ceteros pro viribus ad eandem felicitatem animãtes: Cumq; iã prorſus omni ſpe deſtituuntur, ſupereſt tamẽ una ſẽtẽtia, abunde magnum ſolatium, In magnis et voluiſſe ſat eſt. Ac tũ vitæ brevitatẽ incuſãt, ut quę magnitudini negocij nõ ſuffecerit. Porrò aleatores nõ nihil addubito, num in noſtrum collegium ſint admittẽdi, Sed tamen ſtultum omnino ridiculumq; ſpectaculũ eſt, quoties videmus nõnullos vſq; adeo addictos, ut ſimulatq; ſtrepitũ teſſerarũ andierint, protinus illis cor ſaliat, palpitetq;. De

inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

inde cum ſemper illiciente vincendi ſpe, omnium facultatũ naufragium fecerint, in aleæ ſcopulum illiſa nave, non paulo formidabiliorem Malea, vixque nudi emerſerint, quoſvis potius fraudãt quàm victorẽ, ne ſcilicet viri parum graves habeantur. Quid cum ſenes iam & cæcutientes, vitreis etiam oculis luſitant? Poſtremo cum iam iuſta chiragra contudit articulos, vicarium etiã mercede cõducunt, qui pro ſe talos in pyrgũ mittat? Suavis quidem res, niſi quod hic ludus plerumque ſolet in rabiem evadere, iamque ad furias, non ad me pertinere. Cæterum illud hominum genus haud dubie totum eſt noſtræ farinæ, qui miraculis ac prodigioſis gaudent mendacijs, vel audiẽdis vel narrãdis, nec ulla ſatietas talium fabularum, cum portentoſa quædã, de ſpectris, de lemuribus, de larvis, de inferis, de id genus milibus miraculorum cõmemorantur: quę quo lõgius abſunt à vero, hoc & credũtur lubẽtius, & iucundiore pruritu titillãt aures. Atq; hæc quidẽ nõ modo ad levãdum horarum tædium mire cõducunt, verũ etiã ad queſtum pertinẽt, precipue ſacrificis & cõciõatoribus. His rurſũ ad fines ſunt ij,

qui

qui ſibi ſtultam quidem, ſed tamen iucundam perſuaſionem induerunt, futurum, ut ſi ligneum, aut pictum aliquem Polyphemum Chriſtophorum aſpexerint, eo die non ſint perituri, aut qui ſculptam Barbaram præſcriptis verbis ſalutarit, ſit in columis è prælio rediturus, aut ſi quis Eraſmum certis diebus, certis cereolis, certiſque preculis convenerit, brevi ſit dives evaſurus. Iam vero Georgium etiam Herculem invenerunt, quemadmodum & Hypolitum alterum, Huius equum phaleris ac bullis religioſiſſime adornatum tantum non adorant, ac ſubinde novo quopiam munuſculo demerentur, per huius ęream galeam deierare, planè regium habetur. Nam quid dicam de ijs, qui ſibi fictis ſcelerum condonationibus, ſuavſſime blandiuntur, ac purgatorij ſpacia veluti clepſydris metiuntur, ſecula, annos, mēſes, dies, horas, tanquam è tabula mathematica, citra ullum errorem dimetientes. Aut de ijs, qui magicis quibuſdā notulis ac preculis, quas pius aliquis impoſtor, vel animi cauſa, vel ad queſtum excogitavit, freti nihil ſibi non pollicentur, opes, honores, voluptates, ſaturitates, va-

letudi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

letudinem perpetuo proſperam, vitam longævam, ſenectam viridem, denique proximum Chriſto apud ſuperos conſeſſum, quem tamen nolint, niſi admodum ſero contingere, hoc eſt cum huius vitæ voluptates, invitos eos ac mordicus retinentes, tamẽ deſeruerint, tum ſuccedant illæ cœlitum delicię. Hic mihi puta negociatur aliquis, aut miles, aut iudex, abiecto ex tot rapinis unico nummulo, universã vitę Lernã ſemel expurgatã putat, totq; periuria, tot libidines, tot ebrietates, tot rixas, tot cędes, tot imposturas, tot perfidias, tot proditiones exiſtimat velut ex pacto redimi, & ita redimi, ut iam liceat ad novum ſcelerum orbem de integro reverti, Quid autem ſtultius ijs, imò quid felicius, qui ſeptem illis ſacrorum pſalmorum verſiculis cotidie recitatis, pluſquam ſummam felicitatem ſibi promittunt? Atque hos magicos verſiculos dæmon quiſpiam, facetus quidem ille, ſed futilis magis quam callidus, Divo Bernardo creditur indicaſſe, ſed arte circumventus miſer & hæc tam ſtulta, ut me ipſam propemodum pudeat, tamen approbantur, idque non à vulgo modo, verum etian à religionis pro-

feſſori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

feſſoribus. Quid iam, nonne eodem ferè pertinet, cum ſingulæ regiones ſuum aliquem peculiarẽ vindicant divum: cumque in ſingulos ſingula quędam partiuntur, ſingulis ſuos quoſdã culturę ritus attribuunt, ut hic indẽtium cruciatu ſuccurrat, ille parturientibus dexter adſit, alius rem furto ſublatam reſtituat: hic in naufragio proſper affulgeat, ille gregem tueatur: atque item de cęteris. Nam omnia percenſere longiſſimum fuerit. Sunt qui ſinguli pluribus in rebus valeant, prę cipue dei para virgo, cui vulgus hominum plus prope tribuit quam filio. Verum ab his divis quid tandẽ petunt homines niſi quod ad ſtulticiam attinet? Agedum inter tot anathemata, quib. templorum quorundam parietes omnes, ac teſtudinem ipſam refertam conſpicitis, vidiſtis ne unquam qui ſtulticiam effugerit, qui vel pilo ſit factus ſapientior? Alius enatavit incolumis. Alius ab hoſte profoſſus vixit. Alius è prælio, pugnantibus cæteris, non minus feliciter quam fortiter aufugit. Alius in crucem ſubactus, favore divi cuiuſpiam furibus amici, decidit ut non nullos etiam male divitijs onuſtos pergeret exonerare. Alius per-

pertracto carcere fugit. Alius irato medico à febre revaluit. Alij potum venenum aluo ſoluta, remedio non exitio fuit, idque non admodum læta uxore, quę operam & impenſam luſerit. Alius everſo plauſtro, equos incolumes domũ abegit. Alius oppreſſus ruina vixit. Alius à marito deprehenſus eluſit. Nullus per depulſa ſtulticia gratias agit. Adeo ſuavis qnædã res eſt nihil ſapere, ut omnia potius deprecentur mortales, quàm Moriã. Sed quod ego hunc ſuperſtitionum pelagus ingredior?

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque
centum,
Ferrea vox, omneis fatuorum euoluere
formas,
Omnia ſtulticię percurrere nomina
poſſim.

uſque adeo omnis omnium Chriſtianorum vita iſtiuſmodi delirationibus undique ſcatet: quas ipſas tamen ſacrifici nõ gravatim & admittunt & alunt, non ignari quantum hinc lucelli ſoleat accreſcere. Inter hęc, ſi quis odioſus ſapiens exoriatur, ſuccinatque id, quod res eſt: non male peribis, ſi bene vixeris: peccata redimis, ſi nummulo addideris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

odium malefactorū, tum lachrimas, vigilias, precationes, ieiunia, ac totam vitæ rationem commutaris. Divus hic tibi favebit, ſi vitam illius æmulaberis, Hęc inquam, atque id genus alia, ſi ſapiens ille obgāniat, vide a quanta felicitate repente mortaliū animos in quē tumultū retraxerit? Ad hoc collegiū pertinent, qui vivi qua funeris pompa velint efferri, tā diligenter ſtatuunt, ut nominatim etiam præſcribant, quot tędas, quot pullatos, quot cantores, quot luctus hiſtriones velint adeſſe, perinde quaſi futurum ſit, ut aliquis huius ſpectaculi ſenſus ad ipſos ſit rediturus, aut vt pudeſcāt defuncti, niſi cadaver magnifice defodiatur, haud alio ſtudio, quā ſi ædiles creati, ludos aut epulū ædere ſtudeant. Equidem tametſi propero, tamen haud poſſum iſtos ſilentio pretercurrere, qui cum nihil ab infimo cerdone differant, tamen inani nobilitatis titulo, mirū quā ſibi blādiuntur. Alius ad Aeneam, alius ad Brutum, alius ad Arcturum genus ſuum refert. Oſtendunt undique ſculptas & pictas maiorum imagines. Numerant proavos atque atavos, & antiqua cognomina commemorant, cum ipſi non multum

tum abſint à muta ſtatua, pene ijs ipſis, quæ oſtentant ſignis, deteriores. Et tamē hac tam ſuavi Philautia felicem prorſū vitam agunt. Neque deſunt ęque ſtulti, qui hoc beluarum genus, perinde ut deos ſuſpiciunt. Sed quid ego de uno aut altero genere loquor, quaſi vero non paſſim hæc Philautia plurimos ubique miris modis feliciſſimos efficiat? cum hic quavis ſimia deformior, ſibi plane Nireus videtur, Alius ſimul atque treis lineas circino duxerit, prorſum Euclidē ſeſe putat: hic ὄνος πρὸς λύραν, & quo deterius nec ille ſonat, quo mordetur gallina marito, tamen alterum Hermogenem eſſe ſe credit. Eſt autem illud longe ſuaviſſimum inſaniæ genus, quo nonnulli, quicquid ulli ſuorum dotis adeſt, eo non aliter atque ſuo gloriantur. Qualis erat ille bis beatus apud Senecam dives, qui narraturus hiſtoriolam quampiam, ſervos ad manum habebat qui nomina ſuggererent, non dubitaturus vel in pugilum certamen deſcendere homo, alioqui adeo imbecillus, ut vix viveret, hac re fretus, quod multos haberet domi ſervos egregie robuſtos. Porro de artium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

profeſſoribus, quid attinet commemorare? quando peculiaris eſt horum omnium Philautia, adeo ut reperias citius, qui velit agello paterno, quam ingenio cedere, verum pręcipue hiſtrionum, cantorum, oratorum, ac poetarum, quorum quo quiſque eſt indoctior, hoc ſibi placet inſolentius, hoc ſeſe magis iactat, ac dilatat. Et inveniunt ſimiles labra lactucas, imo quo quicquam eſt ineptius, hoc plures admiratores nanciſcitur, ut peſſima quæque ſemper plurimis arrident, propterea quod maxima pars hominum, ut diximus, Stulticię obnoxia eſt. Proinde ſi qui eſt imperitior, & ſibiipſi multo iucundior eſt, & pluribus admirationi, quid eſt quod is veram eruditionē malit, primum magno conſtaturam, deinde reddituram & putidiorem & timidiorem, poſtremo multo paucioribus placituram? Iam vero video naturam, ut ſingulis mortalibus ſuam, ita ſingulis nationibus, ac pene civitatibus communē quandam inſeviſſe Philautiam: Atque hinc fieri, ut Britanni pręter alia, formam, muſicam, & lautas menſas proprie ſibi vindicent. Scoti, nobilitate, & regię affinitatis titulo, ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

lo, neque non dialecticis argutijs ſibi blandiantur: Galli morum civilitatem ſibi ſumãt: Pariſienſes, theologicę ſcientiæ laudem, omnibus propè ſubmotis, ſibi peculiariter arrogent: Itali bonas literas & eloquentiã aſſerant, atque hoc nomine ſibi ſuaviſſime blandiãtur omnes, quod ſoli mortalium barbari non ſint. Quo quidem in genere felicitatis, Romani primas tenent, ac veterem illam Romam adhuc iucundiſſime ſomniant: Veneti nobilitatis opinione ſunt felices. Græci tanquam diſciplinarum autores, veteribus illis laudatorum heroum titulis ſeſe venditant: Turcę, totaque illa vere barbarorum colluvies etiam religionis laudem ſibi vindicat, Chriſtianos perinde uti ſuperſtitioſos irridens. Ac multo etiam ſuavius Iudæi etiam non Meſſiam ſuum conſtanter expectant, ac Moſen ſuum, hodieque mordicus tenent: Hiſpani bellicam gloriam nulli concedunt: Germani corporum proceritate, & magiæ cognitione ſibi placent, ac ne ſingula perſequar, videtis opinor, quantum ubique voluptatis pariat ſingulis & univerſis mortalibus Philautia, cui prope par eſt Aſſentatio

 ſoror

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſoror. Nihil enim aliud philautia, quàm cum quis ipſe ſibi palpatur. Idem ſi alteri facias, κολακία fuerit. At hodie res quędam infamis eſt adulatio, ſed apud eos, qui rerũ vocabulis magis, quàm rebus ipſis commoventur. Exiſtimant cũ adulatione fidem male cohærere: quod multo ſecus ſeſe habere, vel brutorum animantium exemplis poterant admoneri. Quid enim cane adulantius? at rurſũ quid fidelius? Quid ſciuro blandius? at hoc quid eſt homini magis amicum? Niſi forte vel aſperi leones, vel immites tigres, vel irritabiles pardi magis ad vitam hominũ conducere videntur. Quanquã eſt omnino pernicioſa quædã adulatio, qua nonnulli perfidioſi & irriſores, miſeros in perniciẽ adigũt. Verũ hæc mea ab ingenij benignitate, candoreque quodã proficiſcitur, multoque virtuti vicinior eſt, quam ea quę huic opponitur, aſperitas, ac moroſitas inconcinna, ut ait Horatius, graviſque. Hęc deiectiores animos erigit, demulcet triſtes, extimulat languentes, expergefacit ſtupidos, ęgrotos levat, feroces mollit, amores conciliat, conciliatos retinet. Pueritiam ad capeſcenda ſtudia literarum allicit, ſenes exhi-

larat, principes citra offenſã ſub imagine laudis, & admonet & docet. In ſumma, facit ut quiſque ſibi ipſe ſit iucundior & charior, quę quidē felicitatis pars eſt vel precipua. Quid autem officioſius quã cũ mutuum muli ſcabunt? Vt ne dicam interim hanc eſſe magnam illius laudatę eloquentiæ partem, maiorem medicinę maximam poeticæ: deniq; hanc eſſe totius humanę cõſuetudinis mel & condimẽtũ. Sed falli, inquiunt, miſerũ eſt, imo nõ falli miſerrimum. Nimium enim deſipiunt, qui in rebus ipſis felicitatẽ hominis ſitã eſſe exiſtimãt. Ex opinionibus ea pẽdet. Nã rerum humanarum tanta eſt obſcuritas, varietaſq;, ut nihil dilucide ſciri poſſit, quemadmodum recte dictum eſt ab academicis meis, inter philoſophos quãminimum inſolentibus. Aut ſi quid ſciri poteſt, id non raro officit etiã vitæ iucunditati. Poſtremo ſic ſculptus eſt hominis animus, vt longe magis fucis, quã veris capiatur. cuius rei ſi quis experimẽtũ expoſitũ & obvium quærat, cõciones ac tẽpla petat, in quibus ſi quid ſeriũ narratur, dormitant, oſcitãt, nauſeãt õnes, quod ſi clamator ille, lapſa ſũ declamator dicere volebã, ita ut ſępe faciunt, anilem ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quam fabellam exordiatur, expergiſcuntur, eriguntur, inhiant omnes. Item ſi quis ſit divus fabuloſior & poeticus, quod ſi exemplum requiris, finge huius generis Georgium aut Chriſtophorum, aut Barbaram, videbitis hunc longe religioſius coli, quam Petrum, aut Paulum, aut ipſum etiam Chriſtum. Verum hæc non huius ſunt loci. Iam quanto minoris conſtat hæc felicitatis acceſſio? Quandoquidem res ipſas aliquoties magno negocio pares oportet, vel leviſſimas, uti grammaticem. At opinio facillime ſumitur, quę tamen tantundem aut amplius etiam ad felicitatem conducat. Age ſi quis putribus veſcatur ſalſamentis, quorum alius nec odorem ferre poſſit, & tamen huic ambroſiam ſapiant, quęſo quid intereſt ad felicitatem? Contra ſi acipenſer alicui nauſeam ſapiat, quid referet ad vitæ beatitudinem? Si cui ſit uxor egregie deformis, quæ tamen marito, vel cum ipſa Venere certare poſſe videatur, nonne perinde fuerit, ac ſi vere formoſa foret? Si quis tabulam minio lutoque male oblitam, ſuſpectet, ac demiretur, perſuaſum habens, Apellis aut Zeuſidis eſſe picturam, nonne

nonne felicior etiam fuerit eo, qui eorum artificum manum magno emerit, fortaſſis minus ex eo ſpectaculo voluptatis percepturus? Novi ego quendam mei nominis, qui novæ nuptæ gemmas aliquot adulterinas dono dedit, perſuadens, vt erat facundus nugator, eas non modo veras ac nativas eſſe, verum etiam ſingulari atque inæſtimabili precio. Quæſo, quid intererat puellæ, cum vitro non minus iucunde paſceret & oculos, & animum, nugas perinde vt eximium aliquẽ theſaurum conditas apud ſeſe ſervaret? Maritus interim & ſumptum effugiebat, & vxoris errore fruebatur, nec eam tamen ſibi minus habebat devinctam, quam ſi magno empta donaſſet. Num quid intereſſe cenſetis inter eos, qui in ſpecu illo Platonico variarum rerum vmbras & ſimulacra demirantur: modo nihil deſiderent, neque minus ſibi placeant: & ſapientem illum, qui ſpecum egreſſus, veras res aſpicit. Quod ſi Mycillo Lucianico dives illud & aureum ſomnium perpetuo ſomniare licuiſſet, nihil erat cum aliam optaret felicitatẽ. Aut nihil igitur intereſt, aut ſi quid intereſt, potior

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

etiã ſtultorum conditio. Primum quod iјs ſua felicitas minimo cõſtat, id eſt, ſola perſuaſiuncula. Deinde, quod ea fruuntur cum plurimis communiter. Porrò nullius boni iucũda ſine ſocio poſſeſſio. Quis enim neſcit quanta ſapientum paucitas, ſi modo quiſquam inveniatur? quanquam ex tot ſeculis Græci ſeptẽ omnino numerant, quos me Hercle, ſi quis accuratius excutiat, diſpereã ſi vel ſemiſapientem inveniet, imo ſi vel trientem viri ſapientis. Proinde cum inter multas Bacchi laudes, illud habeatur, ut eſt, primarium, quod animi curas eluat, idque ad exiguum modo tempus: nam ſimulatq; villum edormieris, protinus albis, ut aiunt, quadrigis recurrunt animi moleſtiæ: quanto meum beneficium cum plenius, tum præſentius, quæ perpetua quadam ebrietate, mentem gaudiјs, deliciјs, tripudiјs, expleo, idque nullo negocio? Neque quenquam omnino mortalem mei muneris expertẽ eſſe ſino, cum reliquæ numinum dotes, aliæ ad alios perveniant. Non ubivis naſcitur generoſum & lene merum, Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet. Paucis contigit formæ gratia,

tia, Veneris munus, paucioribus eloquẽtia, Mercurij donum. Non ita multis obtigerunt opes, dextro Hercule. Imperiũ non cuivis concedit Iupiter Homericus. Sępenumero Mavors neutris favet copijs. Complures ab Apollinis tripode triſtes diſcedunt. Sæpe fulminat Saturnius. Phœbus aliquando iaculis peſtem immittit. Neptunus plures extinguit quam ſervat. Vt interim Veioves iſtos Plutones, Atas, Pœnas, Febres, atque id genus, non deos, ſed carnifices commemorem. Ego ſum una illa ſtulticia, quę omneis ex æquo tam parata beneficentia complector. Nec vota moror, nec iraſcor, expoſcens piamina, ſi quid cęremoniarum fuerit prętermiſſum. Nec cœlũ terrę miſceo, ſi quis reliquis invitatis dijs, me domi relinquat, nec admittat ad nidorem illum victimarum. Nam cęterorum deorum tanta in his eſt moroſitas, ut prope maius ſit operæpreciũ, atq; adeo tutius illos negligere quã colere. Quemadmodum ſunt & homines nonnulli, tam difficiles, & ad lędendum iritabiles, ut pręſtiterit eos prorſum alieniſſimos habere, quam familiares. At nemo, inquiunt, ſtulticiæ ſacrificat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

neque templum ſtatuit. Equidem demiror, vt dixi, nonnihil hanc ingratitudinem. Verum hoc quoque pro mea facilitate boni conſulo: quanquam ne hæc quidem deſiderare poſſum. Quid enim eſt cur tuſculum aut molam, aut hircum, aut ſuem requiram, cum mihi mortales omnes ubique gentium eum cultum perſolvant, qui vel à theologis maxime probari ſolet? Niſi forte Dianæ debeam invidere, quod illi humano ſanguine litatur. Ego me tum religioſiſſime coli puto, cum paſſim, vt faciunt omnes, animo complectuntur, moribus exprimunt, vita repræſentant. Qui quidem divorum cultus, nec apud Chriſtianos admodum frequens eſt. Quanta turba eorum, qui deiparæ virgini cereolum affigunt, idque in meridie, cum nihil eſt opus? Rurſum quam pauci qui eandem vitæ caſtimonia, modeſtia, cœleſtium rerum amore ſtudeant æmulari? Nam is demum verus eſt cultus, longeque cœlitibus gratiſsimus. Præterea cur templum deſiderem, cum orbis hic vniverſus templum mihi ſit, ni fallor, pulcherrimum? Neque vero deſunt myſtæ, niſi vbi deſunt homines. Nec iam

Cereola D. Mariæ affigunt.

vſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

vſque adeo ſtulta ſunt, vt ſaxeas ac coloribus fucatas imagines requiram, quæ cultui noſtro nonnunquam officiunt, cum à ſtupidis, & pinguibus iſtis, ſigna pro divis ipſis adorantur. Nobis interim vſu venit, quod ſolet ijs, qui à vicarijs ſuis extruduntur. Mihi tot ſtatuas erectas puto quot ſunt mortales, vivam mei imaginem præ ſe ferentes, etiam ſi nolint. Itaque nihil eſt quod reliquis dijs invideam, ſi alijs in angulis terrarum alij colantur, idque ſtatis diebus: quemadmodum Rhodi Phœbus, in Cypro Venus, Argis Iuno, Athenis Minerva, in Olympo Iupiter, Tarenti Neptunus, Lampſaci Priapus, modo mihi communiter orbis omnis longe potiores victimas aſſidue præbeat: Atqui ſi cui videor hæc audacius quam verius dicere, agedum pauliſper ipſas hominum vitas inſpiciamus, quò palàm fiat, & quantum mihi debeant, & quanti me faciant maximi pariter ac minimi. At non quorum libet vitam recenſebimus, nam id quidem per longum, verum inſignium tantum, vnde reliquos facile ſit æſtimare. Quid enim attinet de vulgo, plebeculaque commemorare,

quæ

quæ citra controverſiã tota mea eſt? tot enim undique ſtulticiæ formis abundat, tot indies novas comminiſcitur, ut nec mille Democriti ad tantos riſus ſuffecerint: quãquã illis ipſis Democritus rursũ alio Democrito foret opus. Quin etiam incredibile ſit dictu, quos riſus, quos ludos, quas delitias, homunculi quotidie prębeant ſuperis. Nam hi quidem horas illas ſobrias, & antemeridianas iurgioſis conſultationibus , ac votis audiendis impartiuut. Cæterum ubi iam nectare madẽt, neque ludẽt quicquã ſerium agere, tum qua parte cœlum quam maxime prominet, ibi cõſidẽt ac pronis frõtibus, quid agitent homines ſpeculantur. Nec eſt aliud ſpectaculũ illis ſuavius. Deum immortalem, quod theatrum eſt illud, quã varius ſtultorum tumultus? Nã ipſa nõnunquã in deorum poeticorum ordinibus cõſidere ſoleo. Hic deperit in mulierculã, & quo minus adamatur, hoc amat impotẽtius. Ille dotem ducit, non uxorem. Ille ſponſam ſuam proſtituit. Alius zelotipus velut Argus obſervat. Hic in luctu papæ quã ſtulta dicit facitque? cõductis etiã velut hiſtrionibus, qui luctus fabulam peragant. Ille flet ad novercæ tumulũ. Hic quicquid undecum-

que poteſt corradere, id totũ vẽtriculo donat, paulo poſt fortiter eſuriturus. Hic ſomno & ocio nihil putat felicius. Sunt qui alienis obeundis negocijs ſedulo tumultuantur, ſua negligunt. Eſt qui verſuris, atque ære alieno divitem ſe eſſe putat, mox decocturus. Alius nihil arbitratur felicius, quàm ſi ipſe pauper hæredem locupletet. Hic ob exiguum, idq; incertum lucellum, per omnia maria volitat, undis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilẽ. Ille mavult bello divitias quærere, quàm tutum ocium exigere domi. Sunt qui captandis orbis ſenibus, putant quam commodiſſime ad opes perveniri. Neque deſunt, qui idem malint deamandis beatis aniculis aucupari. Quorum utrique tum demum egregiam de ſe voluptatem dijs ſpectatoribus præbent, cum ab ipſis, quos captant, arte deluduntur. Eſt omnium ſtultiſſimum ac ſordidiſſimum negociatorum genus, quippe qni rẽ omnium ſordidiſſimã tractẽt, idque ſordidiſſimis rationibus, qui cũ paſſim mẽtiãtur, peierẽt, furẽtur, fraudẽt, imponãt, tamẽ omnium primos ſeſe faciunt, propterea quod digitos habeãt auro revinctos, nec deſũt adulatores fraterculi, qui

Mercatores

qui mirentur iſtos, ac venerabiles palam appellent, nimirum, vt ad ipſos aliqua male partorum portiuncula redeat. Alibi videas Pythagoricos quoſdam, quibus vſqueadeo omnia videntur eſſe communia, vt quicquid vſquam incuſtoditum nacti fuerint, id velut hæreditate obvenerit, æquo animo tollant. Sunt qui votis tantum divites ſunt, & iucunda quædam ſibi fingunt ſomnia, idque ad felicitatem ſatis eſſe putant. Nonnulli foris divites haberi gaudent, domi gnaviter eſuriunt. Hic feſtinat quicquid habet profundere, ille per fas nefaſque congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum ſemet oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc atque hinc certatim contendunt, vt prorogatorem iudicem, & colluſorem ditent advocatum. Hic rebus novandis ſtudet, ille magnum quiddam molitur. Eſt qui Hieroſolymam, Romam, aut divum Iacobum adeat, vbi nihil eſt illi negocij, domi relictis cum vxore liberis. In ſumma ſi mortalium innumerabiles tumultus è luna, quemadmodum Menippus olim, deſpicias, putes te muſcarum, aut culi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

culicum videre turbam inter ſe rixantium bellantium, inſidiantium, rapientium, ludentium, laſcivientium, naſcentium, cadentium, morientium. Neque ſatis credi poteſt, quos motus, quas tragœdias ciat tantulum animalculum, tamque mox periturum. Nam aliquoties vel levis belli, ceu peſtilentię procella multa ſimul milia rapit ac diſſipat. Sed ipſa ſtultiſſima ſim, planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, ſi pergam populariam ſtulticiarum, & inſaniarum formas enumerare. Ad eos accingar, qui ſapientiæ ſpeciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum, vt aiunt, aucupantur, inter quos grammatici primas tenent, genus hominũ profecto, quo nihil calamitoſius, nihil afflictius, nihil ęque dijs inviſum foret, niſi ego miſerrimę profeſſionis incommoda dulci quodam inſanię genere mitigarem. Neque enim πέντε κατάραις, id eſt, quinque tantum diris obnoxij ſunt iſti, quemadmodum indicat epigramma Gręcum, verum ſexcentis, vt qui ſemper famelici, ſordidique in ludis illis ſuis, in ludis dixi imò in φροντιστηρίοις, vel piſtrinis potius, ac

carnificinis inter puerorum greges, conſeneſcant laboribus, obſurdeſcant clamoribus, fœtore pædoreq; cõtabeſcant, tamen meo beneficio fit, ut ſibi primi mortalium eſſe videantur. Adeo ſibi placent, dum pavidam turbam minaci vultu voceq; territant, dum ferulis, virgis, loriſq; cõſcindunt miſeros, dumq; modis omnibus ſuo arbitratu ſæviunt, aſinum illum Cumanum imitantes. Interim ſordes illæ, meræ mundiciæ videntur, pędor amaracinum olet, miſerrima illa ſervitus regnum eſſe putatur, adeo ut tyrannidẽ ſuam nolint cum Phalaridis aut Dionyſij imperio commutare. Sed longe etiã feliciores ſunt, nova quadam doctrinę perſuaſione. Siquidem cum pleriq; mera deliramenta pueris inculcent, tamen dij boni, quẽ nõ illi Palæmonẽ, quẽ nõ Donatum præ ſe contẽnunt? idq; neſcio quibus præſtigijs mire efficiunt, ut ſtultis materculis & idiotis patribus tales videantur, quales ipſi ſe faciunt. Iam adde & hoc voluptatis genus, quoties iſtorum aliquis Anchiſæ matrẽ, aut voculam vulgo incognitam, in putri quapiam charta deprehẽderit, puta bubſequam, bovinatorem aut manticulatorẽ, aut ſi quis vetuſti

tuſti ſaxi fragmentum, mutilis notatum literis, alicubi effoderit: ô Iupiter, quę tum exultatio, qui triumphi, quę encomia, perinde quaſi vel Africam devicerint, vel Babylonas ceperint. Quid autẽ cum frigidiſſimos & inſulciſſimos verſiculos ſuos paſſim oſtẽtant, neque deſunt qui mirẽtur, iam plane Maronis animam in ſuum pectus demigraſſe credunt. At nihil omnium ſuavius, quam cum ipſi inter ſeſe mutua talione laudant ac mirantur, viciſſimq; ſcabunt. Quod ſi quis alius verbulo lapſus ſit, idq; forte fortuna hic oculatior deprehẽderit, ἡράκλεις, quæ protinus tragœdię, quæ digladiationes, que convicia, que invectivæ? Male propicios habeam omnes grãmaticos, ſi quid mẽtior, Novi quẽdam πολυτεχνότατον, gręcum, latinum, mathematicum, philoſophum, medicum, καὶ ταῦτα βασιλικὸν, iam ſexagenarium, qui cæteris rebus omiſſis, annis plus viginti ſe torquet ac diſcruciat in grammatica, prorſus felicem ſe fore ratus, ſi tam diu liceat vivere, donec certo ſtatuat, quomodo diſtinguendæ ſint octo partes orationis, quod hactenus nemo Gręcorum aut Latinorum ad plenum pręſtare valuit. Perinde

quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quaſi res ſit bello quoque vindicanda, ſi quis coniunctionem faciat dictionem ad adverbiorum ius pertinentem. Et hac gratia, cum totidem ſint grammaticę quod grammatici: imo plures, quãdoquidem Aldus meus unus, plus quinquies grammaticam dedit: hic nullam omnino quantumvis barbare aut moleſte ſcriptam prętermittit, quam non evolvat, excutiatque, nemini non invidens, ſi quid quantumlibet inepte moliatur in hoc genere, miſere timens, ne quis forte gloriam hanc prępripiat, & pereant tot annorum labores. Vtrum inſaniam hanc vocare mavultis, an ſtulticiam? Nam mea quidem haud magni refert, modo fateamini meo beneficio fieri, vt animal omnium alioqui longe miſerrimum, eò felicitatis evehatur, vt ſortem ſuam neque cum Perſarum regibus cupiat permutare. Minus mihi debent Poetę, tametſi vel ex profeſſo meę ſunt factionis, quippe liberum genus, vt habet proverbium, quorum omne ſtudium non alio pertinet, quàm ad demulcendas ſtultorum aures, idque meris nugamentis, ac ridiculis fabulis. Et tamen his freti dictu mirum, vt cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſibi polliceantur immortalitatem, & dijs parem vitam, tum alijs eandem promittant. Huic ordini pręceteris familiares Φιλαυτία καὶ κολακία, nec ab vllo mortalium genere color neq; ſimplicius, neque conſtantius. Porro rhetores, quanquam nonnihil illi quidem prævaricantur, colluduntque cum philoſophis, tamen hos quoque noſtræ factionis eſſe, cum alia multa, tum illud in primis arguit, quod præter alias nugas, tam accurate, tam multa de iocandi ratione conſcripſerunt. Atque adeo ſtulticiam ipſam inter facetiarum ſpecies numerat, quiſquis is fuit, qui ad Herennium dicendi artem conſcripſit: Quodque apud Quintilianum, huius ordinis longe principem, caput eſt de riſu vel Iliade prolixius: tantum denique ſtulticiæ tribuunt, vt ſæpenumero quod nullis argumentis dilui poſſit, riſu tamen eludatur. Niſi ſi quis hoc arbitretur ad ſtulticiam non pertinere, ridiculis dictis excitare cachinnos, idque arte, Huius farinę ſunt & iſti, qui libris ædendis famam immortalem aucupantur, Hi cum omnes mihi plurimum debent, tum præcipue qui meras nugas chartis

chartis illinunt. Nam qui erudite ad paucorum doctorũ iudicium ſcribunt,quiq; nec Perſium , nec Lælium iudicem recuſant,mihi quidẽ miſerandi magis, quàm beati videtur, ut qui ſeſe perpetuo torqueant. Addunt,mutant,adimunt,reponunt,repetunt,recudunt,oſtendunt, nonum in annum premunt,nec unquam ſibi ſatisfaciunt, ac futile premium,nempe laudem, eamque per paucorum,tanti emunt,tot vigilijs,ſomniq;,rerũ omnium dulciſſimi,tanta iactura, tot ſudoribus, tot crucibus. Adde nunc valetudinis diſpendium, formæ perniciẽ, lippitudinẽ, aut etiam cęcitatẽ,paupertatẽ,invidiam, voluptatum abſtinentiam, ſenectutem præproperam , mortem pręmaturam,& ſi qua ſunt alia eiuſmodi. Tantis malis ſapiens ille redimẽdum exiſtimat,ut ab uno aut altero lippo probetur. At meus ille ſcriptor,quanto delirat felicius,dum nullà lucubratione,verum utcunque viſum eſt animo,quicquid in calamum incidit,vel ſomnia ſua, ſtatim literis prodit, levi duntaxat chartarum iactura,nõ ignarus futurum,ut quo nugaciores nugàs ſcripſerit,hoc à pluribus.id eſt ſtultis & indoctis omnib.probetur. Quid enim eſt negocij,treis illos doctos,ſi tamen ea lege-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

legerint,contemnere? Aut quid valebit, tam paucorum ſapientum calculus in tam immenſa reclamantium turba? Sed magis etiam ſapiunt, qui aliena pro ſuis ædunt,& alieno magnoq; partam labore gloriam,verbis in ſe tranſmovēt, hoc videlicet freti, quod arbitrētur futurũ, ut etiam ſi maxime coarguantur plagij, tamen aliquanti temporis uſuram ſint interim lucrifacturi. Videre eſt operæprecium, quam hi ſibi placeant,cum vulgo laudantur,cum digito oſtēduntur in turba, οὗτός ἐστιν ὁ δεινὸς ἐκεῖνος.cum apud bibliopolas proſtāt, cũ in omnium paginarum frontib.leguntur tria nomina,pręſertim peregrina,ac magicis illis ſimilia.Quę per deum immortalē quid aliud ſunt quam nomina? Deinde quàm à paucis cognoſcenda,ſi mundi vaſtitatē reſpicias:tum à quanto paucioribus laudanda,ut ſunt etiam indoctorum diverſa palata. Quid quod ea ipſa nomina non raro confinguntur,aut è priſcorum libris adoptantur? Cum alius ſeſe Telemachum alius Stelenum aut Laertē:hic Polycratē, ille Thraſimachum ſeſe nominari gaudet,ut nihil iam referat,etiam ſi chamęleonti aut cucurbitę, ſive quemadmo-

dum

dum ſolent philoſophi loqui, alpha aut beta librum inſcribas. Illud autem lepidiſſimum, cum mutuis epiſtolis, carminibus, encomijs ſeſe viciſſim laudant, ſtulti ſtultos, indoctos indocti. Hic illius ſuffragio diſcedit Alcæus, ille huius Callimachus, ille huic eſt M. Tullio ſuperior, hic illi Platone doctior. Nonnunquam etiam antagoniſtam quęrunt, cuius æmulatione famã augeant. Hinc ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus, donec vterque dux re bene geſta victor diſcedit, vterque triumphum agit. Rident hęc ſapientes, vt, veluti ſunt, ſtultiſſima. Quis enim negat? Sed interim meo beneficio ſuavem vitam agunt, ne cum Scipionibus quidem ſuos triumphos commutaturi. Quanqnam docti quoque interim dum hęc magna cum animi voluptate rident, & aliena fruuntur inſania, non paulum mihi debent & ipſi, quod inficiari non poſſunt, niſi ſint omnium ingratiſſimi. Inter eruditos iureconſulti ſibi vel primum vindicant locum, neque quiſquam alius æque ſibi placet, dum Siſyphi ſaxum aſſidue volvunt, ac ſexcentas leges eodem ſpiritu contexunt, nihil refert quam ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

rem pertinentes, dumqne gloſſematis gloſſemata, opiniones opinionibus cumulantes, efficiunt ut ſtudium illud omnium difficilimum eſſe videatur. Quicquid enim laborioſum, idem protinus & pręclarū exiſtimant. Adiungamus his dialecticos ac ſophiſtas, hominum genus quovis ęre Dodonęo loquacius, ut quorum unuſquivis cum vicenis delectis mulieribus garrulitate decertare poſſit, feliciores tamen futuri, ſi tantum linguaces eſſent, nō etiam rixoſi adeo vt de lana caprina pertinaciſſime digladientur, & nimium altercando plerunque veritatem amittant. Hos tamen ſua philautia beatos reddit, dum tribus inſtructi ſyllogiſmis, incunctanter audent quavis de re cum quovis manum conſerere. Cęterum pertinacia reddit invictos, etiamſi Stentorē opponas. Sub hos prodeunt philoſophi, barba pallioq; verendi, qui ſe ſolos ſapere prædicant, reliquos omnes mortales, vmbras volitare. Quā vero ſuaviter delirant, cum in numerabiles ędificant mundos, dum ſolem, dum lunā, ſtellas, orbes, tanquam pollice filove metiuntur, dū fulminum, ventorum, eclipſium ac cæterarum inexplicabilium

rerum cauſas reddunt, nihil vſquam hæſitantes, perinde quaſi naturæ rerum architectrici fuerint à ſecretis, quaſive è deorum conſilio nobis advenerint: quos interim natura cum ſuis coniecturis, magnifice ridet. Nam nihil apud illos eſſe comperti, vel illud ſatis magnum eſt argumentum, quod ſingulis de rebus inexplicabilis inter ipſos eſt digladiatio. Ii cum nihil omnino ſciant, tamen omnia ſe ſcire profitentur: cumque ſeipſos ignorent, neque foſſam aliquoties, aut ſaxum obvium videant, vel quia lippiūt plerique, vel quia peregrinantur animi, tamen ideas, vniverſalia, formas ſeparatas, primas materias, quidditates, ecceitates, formalitates, inſtantia videre ſe prædicant, res adeo tenues, vt neque Lynceus, opinor, poſſit perſpicere. Tum vero precipue prophanū vulgus aſpernantur, quoties triquetris, & tetragonis, circulis, atque huiuſmodi picturis mathematicis, aliis ſuper alias inductis, & in labyrinthi ſpeciem confuſis, præterea literis velut in acie diſpoſitis, ac ſubinde alio atque acio repetitis ordine, tenebras offundunt imperitioribus. Neque deſunt ex hoc genere qui futura

quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quoque prædicant conſultis aſtris, ac miracula plus quam magica polliceantur, & inveniunt homines fortunati, qui hæc quoque credant. Porro theologos ſilentio tranſire fortaſſe præſtiterit, ϗ τούτην καμαρίναν μὴ κινεῖν, nec hanc anagyrim tangere, vtpote genus hominum mire ſuperciliofum atque iritabile, ne forte turmatim ſexcentis concluſionibus adoriantur, & ad Palinodiam adigant, quod ſi recuſem, protinus hęreticam clamitent. Nam illico ſolent hoc terrere fulmine, ſi cui ſunt parum propicij. Sane quanquam non alij ſunt, qui minus libenter agnoſcãt meam in ſe beneficentiam, tamen hi quoque non mediocribus nominibus obſtricti ſunt, dum felices ſua Philautia perinde quaſi ipſi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortaleis omneis, vt humi reptantes pecudes, è ſublimi deſpiciunt, ac propè commiſerantur, dum tanto magiſtralium definitionum, concluſionum, corollariorum propoſitionum explicitarum & implicitarũ agmine ſepti ſunt, tot exuberant πρησφυγέτοις, vt nec Vulcanijs vinculis ſic poſſint irretiri, quin elabantur diſtinctionibus, quibus nodos

omneis adeo facile ſecant, ut non tenedia bipénis melius: tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigioſis vocibus ſcatent. Prę̧terea dum arcana myſteria ſuo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digeſtus ſit mundus. Per quos canales labes illa peccati in poſteritatem derivata ſit: quibus modis, qua menſura, quantulo tempore in virginis utero ſit abſolutus Chriſtus, quemadmodum in ſynaxi accidentia ſubſiſtant ſine domicilio. Sed hæc protrita. Illa demum magnis, & illuminatis, ut vocant, theologis digna putant, ad hęc ſi quando incidunt, expergiſcuntur. Num quod inſtans ingeneratione divina. Num plures in Chriſto filiationes. Num poſſibilis propoſitio? Pater deus odit filium? Num deus potuerit ſuppoſitare mulierem, num diabolum, num aſinũ, num cucurbitã, num ſilicem? Tum quemadmodum cucurbita fuerit cõcionatura, æditura miracula, figẽda cruci. Et quid conſecraſſet Petrus, ſi conſecraſſet eo tempore, quo corpus Chriſti pendebat in cruce? Et num eodem tempore Chriſtus homo dici potuerit? & num poſt reſurrectionem edere aut bibere fas ſit futurum,

iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

iam nunc famem ſitimque præcaventes. Sunt innumerabiles λεπτολεσχίας, his quoq; multo ſubtiliores, de notionibus, relationibus, inſtantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, ecceitatibus, quas nemo poſſit oculis aſſequi niſi tam Lynceus, ut ea quoque per altiſſimas tenebras videat, quę nuſquam ſunt, Adde nũc his γνώμας illas adeo παραδόξους, ut illa Stoicorũ oracula, quę paradoxa vocant, craſſiſſima prę his videantur, & circunforanea, velut levius eſſe crimen, homines mille iugulare, quam ſemel in die dominico calceum pauperi conſuere. Et potius eſſe committendũ, ut vniverſus orbis pereat una cum victu & veſtitu, quod aiunt, ſuo, quàm unicum quantum libet le ve mendaciolum dicere. Iam has ſubtiliſſimas ſubtilitates ſubtiliores etiam reddunt tot ſcholaſticorũ viæ, ut citius è Labyrinthis temet explices, quam ex in volucris Realium, Nominalium, Thomiſtarum, Albertiſtarum, Occaniſtarum, Scotiſtarum, & nondnm omneis dixi ſectas, ſed pręcipuas duntaxat. In quibus omnibus tantum eſt eruditionis, tantum-

difficultatis, vt exiſtimem ipſis apoſtolis alio ſpiritu opus fore, ſi cogantur hiſce de rebus cum hoc novo theologorum genere conſerere manus. Paulus fidem prȩſtare potuit, at idem cum ait: Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium: parum magiſtraliter definivit. Idem vt charitatem optime prȩſtitit, ita parum dialectice vel dividit, vel finit, in priore ad Corinthios epiſtola, cap. decimotertio. Ac pie quidem illi conſecrabant ſynaxim, & tamen rogati de termino à quo, & termino ad quem, de tranſſubſtantiatione, de modo quo corpus idem ſit in diverſis locis, de differentia qua corpus Chriſti eſt in cœlo, qua fuit in cruce, qua in ſacramento ſynaxeos, quo puncto fiat transſubſtantiatio, cum oratio per quam ea fit, vt quantitas diſcreta ſit in fluxu, non pari, ſicut, opinor, reſpondiſſent acumine, quo Scotidæ diſſerunt hæc, ac definiunt. Noverant illi Ieſu matrem, ſed quis eorum tam philoſophice demonſtravit, quomodo fuerit ab Adȩ macula prȩſervata, quam noſtri theologi? Petrus accepit claves, & accepit ab eo, qui non committit indigno,

digno, & tamen an intellexerit, neſcio, certe nuſquam attigit ſubtilitatem, quomodo ſcientię clavem habeat is quoque, qui ſcientiam non habeat. Baptizabant illi paſſim, & tamen nuſquam docuerunt, quæ ſit cauſa formalis, materialis, efficiens, & finalis baptiſmi, nec characteris delebilis, & indelebilis apud hos vlla mentio. Adorabant quidem illi, ſed in ſpiritu, nihil aliud ſequentes, quam illud evangelicum, ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. Verum haud apparet eis tum fuiſſe revelatum, vna eademque adoratione adorandam imagunculam carbone delineatam in pariete, & Chriſtum ipſum, ſi modo duobus ſit porrectis digitis, intonſa coma, & in vmbone qni adhæret occipitio, treis habeat notas. Quis enim hæc percipiat, niſi triginta ſex annos totos in phiſicis, & vltra mundanis Ariſtotelis & Scotticis contriverit? Identidem inculcant Apoſtoli gratiam, at ijdem nuſquam diſtinguuntquid interſit inter gratiam gratis datam, & gratiam gratificantem. Hortantur ad bona opera;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nec diſcernunt opus operans & opus operatum. Paſſim inculcant charitatem, nec ſecernunt infuſam ab acquiſita, nec explicant, accidens ne ſit, an ſubſtantia , creata res an increata. Deteſtantur peccatum , at emoriar, ſi potuerunt ſcientifice difinire, quid ſit illud , quod peccatum vocamus, niſi forte Scotiſtarum ſpiritu fuerunt edocti. Nec enim adduci poſſum, ut credam Paulum è cuius unius eruditione licet omneis æſtimare , toties damnaturum fuiſſe quæſtiones, diſceptationes, genealogias, & ut ipſe vocat λογομαχίας, ſi eas percalluiſſet argutias , præſertim cum omnes illius temporis contentiones , pugnæque ruſticanæ fuerint, & craſſæ, ſi cum magiſtrorum noſtrorum pluſquam Chryſippeis ſubtilitatibus conferantur. Quanquam homines modeſtiſſimi , ſi quid forte ſcriptum ſit ab Apoſtolis indolatius parumque magiſtraliter, non damnant quidem, ſed commode interpretantur: hoc videlicet honoris, partim antiquitati, partim apoſtolico nomini deferentes

tes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tes. Et Hercle parum æquum erat, res tantas ab illis requirere, de quibus ex præceptore ſuo, ne verbum quidem unquam audiſſent: Idem ſi eveniat in Chryſoſtomo, Baſilio, Hieronymo, tum ſat habent adſcribere, non tenetur. Et illi quidem confutarunt ethnicos philoſophos ac Iudęos, ſuapte natura pertinaciſſimos, ſed vita magis ac miraculis quam ſyllogiſmis, tum eos quorum nemo fuerit idoneus, vel unicum Scoti Quodlibetum ingenio conſequi. Nunc quis ethnicus, quis hæreticus non continuo ſedat tot tenuiſſimus ſubtilitatibus, niſi tam craſſus, vt non aſſequatur, aut tam impudens vt exibilet, aut ijſdem inſtructus laqueis, vt iam par ſit pugna, perinde quaſi magum cum mago committas, aut ſi gladio fortunato pugnet aliquis cum eo, cui gladius ſit fortunatus: tum enim nihil aliud quam tela Penelopes retexeretur. Ac meo quidem iudicio ſaperent Chriſtiani, ſi pro pinguibus iſtis militum cohortibus, per quos iam olim ancipiti Marte belligerantur, clamoſiſſimos Scotiſtas, & pertinacisſimos Oc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

caniſtas, & invictos Albertiſtas una cum tota ſophiſtarum manu mitterent in Turcas & Saracenos: ſpectarent, opinor, & conflictum omnium lepidiſſimum, & victoriam non ante viſam. Quis enim uſque adeo frigidus, quem iſtorum non inflamment acumina? Quis tam ſtupidus, ut tales non excitent aculei? Quis tam oculatus, ut hæc illi non maximas offundant tenebras? Verum hæc omnia videor vobis propemodum ioco dicere. Nec mirum ſanè, cum ſint & inter ipſos theologos melioribus inſtituti literis, qui ad has frivolas, ut putant, Theologorum argutias nauſeent. Sunt qui velut ſacrilegij genus execrentur, ſummamque ducant impietatem, de rebus tam arcanis, & adorandis magis, quam explicandis, tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutijs diſputare, tam arroganter definire, ac divinę Theologiæ maieſtatem tam frigidis, imo ſordidis verbis ſimul & ſententijs conſpurcare. At interim ipſi feliciſſime ſibi placent, imo plaudunt, adeo ut his ſuaviſſimis nenijs, nocte

dieque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dieque occupatis, ne tantulum quidem ocij ſuperſit, ut evangelium, aut Paulinas epiſtolas vel ſemel liceat evoluere, Atque interim dum hęc nugantur in ſcholis, exiſtimant ſeſe univerſam eccleſiam, alio qui ruituram, non aliter ſyllogiſmorum fulcire tibicinibus quam Atlas cœlum humeris ſuſtinet apud Poetas. Iam illud quantę felicitatis eſſe putatis, dum arcanas literas, perinde quaſi cereæ ſint, pro libidine formant, ac reformãt, dum concluſiones ſuas, quibus iam aliquot ſcholaſtici ſubſcripſerunt, pluſquam Solonis leges videri poſtulant, & vel pontificijs decretis anteponendas, dumq; veluti cenſores orbis ad palinodiam trahunt, ſi quid uſquã cum explicitis & implicitis illorum concluſionibus, non ad amuſſim quadrarit, ac non ſecus atque ex oraculo pronunciant, hęc propoſitio ſcandaloſa eſt, hęc parum reverentialis, hæc hæreſim olet, hec male tinnit, ut iam nec baptiſmus, nec evangeliũ, nec Paulus aut Petrus, nec ſanctus Hieronymus aut Auguſtinus, imo nec ipſe Thomas ἀριστοτελικώτατος, Chriſtianum efficiat, niſi baccalauriorum calculus acceſſerit, tãta eſt in iudicãda ſubtili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tilitas. Quis enim ſenſurus erat, eum Chriſtianũ non eſſe,qui diceret has duas orationes, matula putes, & matula putet. Item ollæ fervere, & ollam fervere, pariter eſſe congruas, niſi ſapientes illi docuiſſent? Quis tantis errorum tenebris liberaſſet eccleſiam,quos ne lecturus quidem vnquam quiſquã fuerat, niſi magnis ſigillis iſti prodidiſſent? Verum an non feliciſſimi dũ hæc agũt? Pręterea dum inferorũ res omneis ſic ex amuſſim depingunt,tanquã in ea Rep. cõplureis annos ſint verſati? Præterea dum pro arbitrio novos orbes fabricantur, addito denique latiſſimo illo,pulcherrimoq;,ne ſcilicet deeſſet vbi felices animæ commode vel ſpatiari,vel conviviũ agitare, vel etiam pila ludere poſſent. His atq; id genus bis mille nugis, horũ capita adeo diſtenta differtaque ſunt, ut arbitrer nec Iovis cerebrũ ęque gravidũ fuiſſe, cũ ille Palladẽ parturiẽs, Vulcani ſecurim imploraret. Quare nolite mirari, ſi videtis caput illorũ tot faſcijs tã diligẽter obvinctũ in publicis diſputationibus alioquin enim planè diſſilirẽt. Illud ipſa quoq; non nunqnam ridere ſoleo, cum ita demum maxime ſibi videntur theologi, ſi quam maxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

maxime barbare ſpurceque loquantur, cumq; adeo balbutiunt, ut à nemine niſi balbo poſſint intelligi, acumẽ appellant, quod vulgus non aſſequatur, Negant enim è dignitate ſacrarum literarũ eſſe, ſi grammaticorum legibus parere cogantur. Mira vero maieſtas theologorũ, ſi ſolis illis fas eſt mendoſe loqui, quanquã hoc ipſum habent cum multis certis cerdonibus commune, poſtremo iã dijs proximos ſeſe ducunt, quoties quaſi religioſe magiſtri noſtri ſalutãtur, in quo quidẽ nomine tale quiddã ſubeſſe putãt quale eſt apud Iudęos τετραγράμματον. Itaq; nefas aiũt eſſe MAGISTER NOSTER ſecus quam maiuſculis ſcribere literis. Quod ſi quis præpoſtere Noſter magiſter dixerit, is ſemel omnem theologici nominis perverterit maieſtatem. Ad horum felicitatem proxime accedunt ij, qui ſe vulgo religioſos ac monachos appellãt, utroq; falciſſimo cognomine, cum & bona pars iſtorum longiſſime abſit à religione, & nulli magis omnibus locis ſint obvij. Iis nõ video quid poſſit eſſe miſerius, niſi ego multis modis ſuccurerẽ. Etenim cũ hoc hominũ genns

omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

omnes ſic execrentur, ut fortuitũ etiam occurſum ominoſum eſſe perſuaſum ſit, tamen ipſi ſibi magnifice blandiuntur. Primum ſummam exiſtimant pietatem, ſi uſque adeo nihil attigerint literarum, ut ne legere quidẽ poſſint. Deinde cum pſalmos ſuos, numeratos quidem illos, at non intellectos, aſininis vocibus in templis derudunt, tum vero ſe putant divorum aures multa voluptate demulcere. Et ſunt ex his nonnulli, qui ſordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, imò in nullis diverſorijs, vehiculis, navibus non obturbant, non mediocri profecto reliquorum mendicorum iactura. Atque ad eum modum homines ſuaviſſimi, ſordibus, inſcitia, ruſticitate, impudentia, apoſtolos (ut aiunt) nobis referunt. Quid autem iucundius, quam quod omnia faciunt ex præſcripto, quaſi mathematicis utentes rationibus, quas prçterire piaculum ſit. Quot nodos habeat calceus, quo colore ſingula, veſtis quot diſcriminibus varieganda, qua materia, quotque culmis latum cingulum, qua ſpecie, & quot modiorum capax cucullа, quot digitis latũ capillitium, quot dor-

dormiendum horas. Atque hęc quidem ęqualitas in tanta corporum & ingeniorum varietate, quam ſit inequalis, quis non perſpicit? Et tamen his nugis non alios modo præ ſe nauci faciunt, verum invicem alij alios contemnunt, atq; homines apoſtolicam charitatem profeſſi, ob aliter cinctam veſtem, ob colorem paulo fuſciorem, omnia miris tragœdijs miſcent. Ex his videas quoſdam adeo rigide religioſos, ut ſumma veſte, non niſi Cilicina utantur, intima Mileſia: alios contra, qui ſuperne linei ſint, intime lanei. Rurſũ alios qui pecuniæ contactum ceu aconitum horreant, nec à vino interim, nec à mulierem contactu temperantes. Denique mirum omnibus ſtudium, ne quid in ratione vitę conveniat. Nec illud ſtudio eſt, ut Chriſto ſimiles ſint, ſed ut inter ſe diſſimiles. Porrò magna felicitatis pars eſt in cognomentis, dum hi funigeros appellari ſe gaudent, & inter hos alij Coletas, alij minores, alij minimos, alij Buliſtas. Rurſum hi Benedictinos, illi Bernardinos, hi Brigidenſes, illi Auguſtinenſes: hi Guilhelmitas, illi Iacobitas, quaſi vero parum ſit, dici Chriſtianos. Horum magna pars intantum ſuis

niti-

nititur ceremonijs , & hominum traditiunculis,ut putet unum cœlum parum dignum eſſe tantis meritis præmiū,haud cogitantes futurum,ut Chriſtus contēptis his omnibus,ſuum illud ſit exactu-rus pręceptum,nempe charitatis. Alius oſtentabit aqualiculum, omni piſcium genere diſtentum. Alius pſalmorum,cētum effundet modios,Alius ieiuniorum myriadas annumerabit, & toties unico prandio pene diſruptam imputabit alvū. Alius tantum ceremoniarum acervum proferet,quantus vix ſeptē onerarijs navib. vehi poſſit. Alius gloriabitur ſexaginta annos nunquā attactā pecuniā, niſi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret,adeo ſordidā & craſsā, vt nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius ſe pluſquam undecim luſtris ſpongię vitam egiſſe, ſemper eidem affixum loco: Alius raucam aſſiduo cantu vocem adducet: Alius lethargum ſolitudine contractū,alius linguā iugi ſilētio torpentem. At Chriſtus interpellatis,nunquā alioqui finiēdis glorijs,u ndenamhoc,inquiet, novum Iudæorum genus ? Vnicam ego legem vere meam agnoſco, de qua

ſola

ſola nihil audio. Et olim palàm nulloque parabolarum utens in volucro, paternam hęreditatem pollicitus ſum, non cucullis, preculis, aut inedijs, ſed fidei & charitatis officijs. Nec eos agnoſco, qui ſua facta nimis agnoſcunt: iſti qui me quoque ſanctiores videri volunt, Abraxaſiorum cœlos, ſi libet, occupent, aut ab his ſibi novum extrui cœlum iubeant, quorũ traditiunculas meis pręceptis ante poſuerunt. Cum hęc audient, & videbunt nautas & aurigas ſibi pręferri, quibus putatis vultibus, ſeſe mutuo contuebuntur? Sed interim ſpe ſua felices ſunt, non abſque meo beneficio. Atq; hos quidem quanquam à republica ſemotos, nemo tamen audet contemnere, præcipue mẽdicantes, propterea quod omnia omnium arcana teneant, ex confeſſionibus quas vocant. Quæ tamen prodere nefas habent, niſi ſi quando poti, fabulis amœnioribus delectare ſe volunt, ſed coniecturis modo rem indicant, tacitis interim nominibus. Quod ſi quis hos crabrones iritarit, tum in popularibus concionibus probe ulciſcuntur ſeſe, & obliquis dictis hoſtem notant, adeo tecte, ut nemo non intel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

intelligat, niſi qui nihil intelligit: nec prius oblatrandi finem faciunt, quam in os offam obieceris. Age vero quem tu mihi comœdum, quem circulatorem ſpectare malis, quam iſtos in concionibus ſuis rhetoricantes omnino ridicule, ſed tamē ſuaviſſime imitantes ea que rhetores de dicendi ratione tradiderunt? Deum immortalem, ut geſticulantur, ut apte commutant vocem, ut cantillant, ut iactant ſeſe, ut ſubinde alios atque alios vultus induunt, ut omnia clamoribus miſcent. Atque hanc orandi artem ceu rem arcanam fraterculus fraterculo per manus tradit. Eam tametſi mihi non eſt fas ſcire, tamen utcunque coniecturis ſequar. Primo loco invocant, id quod à poetis mutuo ſumpſerunt: deinde dicturi de charitate, à Nilo Ægypti fluvio ſumunt exordium: aut crucis myſterium enarraturi, à Babylonio dracone Bel feliciter auſpicantur: aut de ieiunio diſputaturi, à duodecim zodiaci ſignis principium faciunt: aut de fide verba facturi, diu de quadratura circuli pręloquuntur. Audivi ipſa quendam eximie ſtultum, erravi, doctum volebā dicere, qui in concione celeberrima divinæ triadis myſteriū expli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

plicaturus, quo & doctrinã ſuã non vulgarẽ oſtẽtaret, & theologicis ſatis faceret auribus, nova prorſus ingreſſus eſt via, nimirũ à literis ſyllabis, & oratione, tum à cõcordia nominis & verbi, adiectivi nominis & ſubſtãtivi, mirantibus iã pleriſq;, ac nõnullis Horatianũ illud apud ſe muſſitantibus: Quorſum hæc tã putida tendunt. Tandem huc rem deduxit, ut in grammaticorum rudimentis ſic expreſſum oſtenderet totius triadis ſimulacrũ, ut nemo mathematicorũ in pulvere poſſet evidẽtius depingere. Atq; in hac oratione θεολογώτατος ille totos octo mẽſes ita deſudarat, ut hodie quoque magis cæcutiat quam talpæ, nimirum tota luminum acie ad ingenij cuſpidem avocata. Verum haud pœnitet hominem cęcitatis, ac parvo quoque putat emptam eam gloriam. Auditus eſt à nobis alius quidam octogenarius, adeo theologus, ut in hoc Scotum ipſum renatum putes. Is explicaturus myſterium nominis Ieſu, mira ſubtilitate demonſtravit in ipſis literis latere, quicquid de illo dici poſſit. Etenim quod tribus duntaxat inflectitur caſibus, id manifeſtum eſſe ſimulacrum divini ternionis. Deinde quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

prima vox Ieſus, deſinat in s, ſecunda Ieſum in m, tertia Ieſu in u, in hoc ἄῤῥητον ſubeſſe myſterium : nempe tribus literulis indicantibus eum eſſe ſummum, medium, & ultimum. Reſtabat myſterium his quoque retruſius, mathematica ratione, Ieſus ſic in duas æquales diffidit portiones, vt ſcilicet penthemimeres in medio reſideret. Deinde docuit eam literam apud Hebræos eſſe ש, quam illi Syn appellent, porro ſyn, Scotorem opinor lingua peccatum ſonat : atque hinc palàm declarari, Ieſum eſſe qui peccata tolleret mundi. Hoc tam novum exordium ſic inhiantes admirati ſunt omnes, pręcipue theologi, vt parum abfuerit, quin illis acciderit, quod olim Niobæ, cũ mihi propemodum evenerit, quod ficulno illi Priapo, qui magno ſuo malo, Canidiæ Saganęqúe nocturna ſacra ſpectavit. Nec iniuria profecto : nam quando ſimilem ἔφοδον commẽtus eſt Demoſthenes ille Graius, aut Cicero Latinus? Illis vitioſum habebatur prooemium, quod à re foret alienius : quaſi vero non ad iſtum modum exordiantur & ſubvlci, natura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ra videlicet magiſtra. At hi docti præambulum ſuum, ſic enim vocant, ita demum eximie rhetoricum fore ducunt, ſi nuſquam quicquam habeat cum reliquo argumento confine, ut auditor interim admirans, illud ſecum murmuret, quò nunc ſe proripit ille? Tertio loco ceu narrationis vice non nihil ex evangelio, ſed curſim ac velut obiter interpretantur, cum id ſolum fuerit agendũ. Quarto loco iam nova ſumpta perſona, quæſtionem movẽt theologalem, aliquoties οὔτε γῆς, οὔτε οὐρανοῦ ἁπτομένην, Atque id quoque ad artem arbitrantur pertinere. Hic demum theologicum attollunt ſupercilium, doctores ſolennes, doctores ſubtiles, doctores ſubtiliſſimos, doctores ſeraphicos, doctores cherubicos, doctores ſanctos, doctores irrefragabiles, magnifica nomina auribus inculcantes. Tum ſyllogiſmos, maiores, minores, concluſiones, corollaria, ſuppoſitiones, frigidiſſimas ac plusquã ſcholaſticas nugas apud imperitum vulgus iactitant. Supereſt iam quintus actus, in quo ſummũ artificẽ præſtare convenit. Hic mihi ſtultã aliquã & indoctam fabulã, ex Speculo opinor hiſtoriali, aut ge-

ſtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſtis Romanorum in medium adferunt, & eandem interpretantur allegorice, tropologice, & anagogice. Atque ad hunc quidem modum Chimęrã ſuam abſolvunt, qualẽ nec Horatius unquam aſſequi potuit cum ſcriberet: Humano capiti &c. Sed audierunt à neſcio quibus, ingreſſum orationis ſedatum, minimeque clamoſum eſſe oportere: Itaque principio ſic exordiuntur, ut nec ipſi vocem propriam exaudiant, quaſi referat dici, quod nullus intelligat. Audierunt nonnunquam ad concitandos affectus, exclamationibus utendum eſſe. Proinde preſſe alioqui loquentes, ſubinde repente vocem tollũt furioſo plane clamore, etiam cum nihil opus. Iures elleboro homini opus eſſe, perinde quaſi nihil referat, ubi clames. Præterea quoniam audierunt oportere ſermonem in progreſſu fervẽſcere, in ſingulis partibus principiis utcunque ſane recitatis, mox mira vocis contentione utuntur, etiam ſi res ſit frigidiſſima, atque ita denique deſinunt, ut ſpiritu defectos credas. Poſtremo didicerunt, apud rhetores de riſu fieri mentionẽ, eoq; ſtudent & ipſi iocos quoſdam aſpergere, ὦ φίλη ἀφροδίτη,

quam

quam plenos gratiarũ, quamq; in loco, vt plane ὄνον πρὸς τὴν λύραν eſſe dicas. Mordent quoque nonnunquam, ſed ita, ut titillent magis quam vulnerent. Nec unquam verius adulantur quam cum maxime παῤῥησιάζεσθαι videri ſtudent. Denique tota actio eſt eiuſmodi, ut iures eos à fori circulatoribus didiciſſe, à quibus longe vincuntur. Quanquam utrique alteris uſque adeo ſunt ſimiles, ut nemo dubitet quin aut hi ab illis, aut illi ab his rhetoricen ſuam didicerint. Et tamen inveniunt hi quoque mea nimirum opera, qui cum hos audiunt, Demoſthenes meros, ac Cicerones audire ſe putant. Quod genus ſunt præcipue mercatores ac mulierculæ: quorum auribus unice placere ſtudent: quod illi nõnullam prędæ portiunculam de rebus male partis ſoleant impertiri, ſi commode fuerint palpati: illæ cum alijs multis de cauſis huic ordini favent, tum pręcipue, quod in horum ſinus ſoleant effundere, ſi quid in maritos ſtomachantur. Videtis opinor, quantopere mihi debeat hoc hominum genus, qui cum cæremoniolis, & nugis de ridiculis clamoribuſq;
tyran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tyrannidẽ quandam inter mortales exerceant, Paulos atque Antonios ſeſe credunt. Verum ego iſtos hiſtriones tam ingratos beneficiorum meorũ diſſimulatores, quam improbos ſimulatores pietatis, libenter relinquo. Iamdudũ enim iuvat de regibus ac principibus aulicis à quibus ſimpliciſſime color, & ut dignum eſt ingenius, ingenue, nonnihil attingere. Qui quidem ſi vel ſemunciam ſani cordis haberent, quid eſſet horum vita triſtius, aut æque fugiendum? Neque enim exiſtimabit vel periurio parricidio que parãdum imperiũ, quiſquis ſecũ perpẽderit, quã ingẽs onus ſuſtineat humeris, qui vere principem agere velit. Eum qui rerum gubernacula ſuſceperit, publicum non privatum negocium gerere, nihil niſi de commodis publicis oportere cogitare: à legibus, quarum ipſe & autor & exactor eſt, nec latum digitum diſcedere: officialium omniũ & magiſtratuum integritatem ſibi pręſtandam eſſe: ſeſe eſſe unum omnium oculis expoſitum, qui vel ceu ſidus ſalutare, morum innocentia, maximam rebus humanis ſalutem poſſit adferre, vel veluti cometa letalis, ſummam perniciem inve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

invehere. Aliorum vitia neque perinde ſentiri, neque tã late manare. Principem eo loco eſſe, ut ſi quid vel leviter ab honeſto deflexerit, gravis protinus ad quàm plurimos homines vitę peſtis ſerpat. Tum quod multa ſecum adferat principum fortuna, quæ ſoleant à recto deducere, quod genus, delicię, libertas, adulatio, luxus, hoc acrius enitendum, ac ſolicitius advigilandum, necubi vel deceptus ceſſet in officio. Poſtremo, ut inſidias, odia, cęteraque vel pericula, vel metus omittam, capiti imminere verum illum regem, qui paulo poſt ab eo ſit etiam de minimo quoq; commiſſo rationem exacturus, idque tãto ſeverius, quanto præſtantius geſſit imperium. Hæc inquam, atque huiuſmodi plurima, ſi princeps ſecum perpenderet, perpenderet autem ſi ſaperet, is nec ſomnum, nec cibum opinor iucunde capere poſſet. At nunc meo munere, has omneis curas dijs permittunt, ipſi ſeſe molliter curant, neq; quenquam ad aurem admittunt, niſi qui iucunda loqui norit, ne quid animo ſolicitudinis oboriatur. Se probe principis partes omneis impleſſe credunt, ſi venentur aſſidue, ſi bellos alant caballos

los, ſi ſuo commodo vendiderint magiſtratus ac prefecturas, ſi quotidie nove rationes excogitentur, quibus civium opes attenuent & in ſuum converrant fiſcum, verum id appoſite repertis titulis, ut etiamſi ſit iniquiſſimum, aliquam tamen æquitatis ſpeciem præ ſe ferat. Addunt data opera nonnihil adulationis, quo populares animos, utcunque ſibi devinciant. Fingite mihi nunc, quales ſunt nonnunquam, hominem legum ignarum, publicorum commodorum penè hoſtem, privatis intentum commoditatibus, addictum voluptatibus, oſorem eruditionis, oſorem libertatis ac veri, nihilminus quam de reip. ſalute cogitantem, ſed omnia ſua libidine, ſuiſque vtilitatibus metientem. Deinde addite huic torquem auream, omnium virtutum coherentium conſenſum indicantem, tum coronam gemmis inſignitam, quæ quidem admoneat eum heroicis omnibus virtutibus oportere cæteris antecellere, præterea ſceptrum, iuſtitie & undecunque incorrupti pectoris ſymbolum, poſtremo purpuram eximiæ cuiuſdam in rem-publicam charitatis indicium. Hec geſtamina ſi princeps cũ ſua

vita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

vita conferret, equidem futurum arbitror, ut planè pudeſcat ornatus ſui, vereaturque ne quis naſutus interpres, totum hunc tragicum cultum, in riſum iocumque vertat. Iam quid de proceribus aulicis commemorem? quorum pleriſque cum nihil ſit addictius, ſervilius, inſulſius, abiectius, tamen omnium rerum primos ſeſe videri volunt. Hac una in re tamen modeſtiſſimi, quod contēti, aurum, gemmas, purpurã, reliquaq; virtutum ac ſapientiæ inſignia corpore circumferre, rerum ipſarum ſtudium omne concedunt alijs. Hoc abunde felices ſibi videntur, quod regē herum vocare liceat, quod tribus verbis ſalutare didicerint quod norint civiles titulos ſubinde inculcare, ſerenitatem, dominationem, & magnificentiã: quod egregie perfricuerint faciē, quod feſtiviter adulentur. Nã hę ſũt artes, quæ vere nobilē & aulicũ deceant. Cæterũ ſi vitæ rationē omnem propius inſpicias, nimirũ meros Phęacas invenies, ſpõſos Penelopes, reliquũ carmē agnoſcitis, quod Echo vobis melius referet quã ego. Dormitur in medios dies, ibi ſacrificulus mercennarius ad lectũ parat⁹, qui propemodũ cubãtib. adhuc ſa

expedite peragat. Mox ad ientaculum, quo vix peracto, iam interpellat prandium. Sub id alea, lateruncli, ſortes, ſcurræ, moriones, ſcorta, luſus, inficetię. Interim una aut altera merenda. Rurſum cœna, poſt hanc repotia, nõ una per Iovem. Atque ad hunc modum, citra ullum vitę tędium elabuntur horę, dies, menſes, anni, ſecula. Ipſa nonnunquam ſaginatior abeo, ſi quando viderim illo μεγαλοῤῥοῦντας, dum inter nymphas vna quæq; hoc ſibi videtur dijs propior, quo caudam longiorẽ trahit, dum procerum alius alium cubito protrudit, quo Iovi vicinior eſſe videatur, dũ ſibi quiſque hoc magis placet, quo graviorẽ catenam collo baiulat, ut robur etiam, non opes tantum oſtentet. Ac principum quidem inſtitutum, ſummi pontifices, cardinales, & epiſcopi, iam pridem gnaviter æmulantur, ac propè ſuperant. Porrò ſi quis perpendat, quid linea veſtis admoneat, niveo candore inſignis, nempe vitam undiquaque inculpatam, quid ſibi velit mitra bicornis, utrunque faſtigium eodem cohibente nodo, puta novi pariter ac veteris inſtrumenti abſolutam ſcientiam, quid manus chiro-

thecis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

thecis communitæ, puram & ab omni
rerum humanarum contagio immunem
ſacramentorum adminiſtrationem,quid
pedum, nimirum crediti gregis vigilan-
tiſſimam curam,quid prælata crux,vide-
licet omnium humanorum affectuum
victoriam: Hæc, inquam, atque id genus
alia multa, ſi quis perpendat, nonne tri-
ſtem ac ſolicitam vitam egerit? At nunc
belle faciunt,cum ſeſe paſcunt. Cęterum
ovium curam aut ipſi Chriſto man-
dant,aut in fratres, quos vocant,ac vica-
rios reijciunt. Neque vel nominis ſui re-
cordantur,quid ſonet epiſcopi vocabu-
lum,nempe laborem, curam, ſolicitudi-
nem. Verum in irrediendis pecunijs,pla-
nè epiſcopos agunt, οὐδ᾽ ἀλαοσκοπίη.
Ad eundem modum cardinales ſi cogi-
tent ſeſe in apoſtolorũ locum ſucceſſiſſe,
eadem ab ipſis requiri,quæ illi pręſtite-
runt,deinde non dominos eſſe,ſed admī
niſtratores ſpiritalium dotium, de qui-
bus omnibus ſint paulo poſt exactiſſime
reddituri rationem. Imò ſi vel in cultu
pauliſper philoſophentur, atque ita ſe-
cum cogitent, quid ſibi vult hic veſtitus
candor? Nonne ſummam & eximiam
vitæ innocentiam? Quid interior purpu-
 ra?

ra? nonne flagrantiſſimum in deum amorem? Quid rurſus exterior ſinuoſa capacitate diffluens, ac totam etiam reverendiſſimi cõplectẽs mulã, quãquam una vel camelo contegendo ſuffecerit? Nonne charitatem latiſſime ſeſe pandentem ad ſubveniendum omnibus, hoc eſt, ad docendum, exhortandum, conſolandum, increpandum, admonendum, componenda bella, reſiſtẽdum improbis principibus, & vel ſanguinem libenter impendendum gregi Chriſtiano, non ſolum opes. Quanquam quorſum omnino opes, pauperum apoſtolorum vicem gerẽtibus? Hæc ſi perpẽderent, inquam, nec eum locum ambirent, & libenter relinquerẽt, aut certe vitã planè laborioſã, atq; ſolicitã agerent, cuiuſmodi veteres illi vixeruut apoſtoli. Iam ſummi pontifices, qui Chriſti vices gerunt, ſi conentur eiuſdẽ vitã æmulari, nẽpe paupertatẽ, labores, doctrinã, crucẽ, vitę cõtẽptũ, ſi vel papę, id eſt, patris nomen, vel ſanctiſſimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eũ locũ omnibus emat facultatibus: ẽptũ, gladio, veneno, omnique vi tueatur? Quantũ his abſtulerit cõmoditatũ, ſi ſemel inceſſiverit ſapientia?

Sapien-

Sapientia dixi?Imò vel mica ſalis illius, cuius meminit Chriſtus. Tantum opũ, tantum honorum, tantum ditionis, tantum victoriarum, tot officia, tot diſpenſationes, tot vectigalia, tot indulgentias, tantum equorum, mulorum, ſatellitum, tantum voluptatum, Videtis quantas nundinas, quantam meſſem, quantum bonorum pelagus paucis ſim complexa. In quorum locum inducet vigilias, ieiunia, lachrymas, orationes, conciones, ſtudia, ſuſpiria, milleq; id genus miſeros labores. Neq; vero negligẽdũ illud, futurũ ut tot ſcriptores, tot copiſtæ, tot notarij, tot advocati, tot promotores, tot ſecretarij, tot mulotribę, tot equiſones, tot mẽſarij, tot léones, penè mollius quiddã addiderã, ſed vereor ne durius ſit aurib. In ſũma, tã ingẽs hominũ turba, quę Romanã ſedẽ onerat, lapſa ſũ, honorat ſẽtiebã, ad famẽ adigatur. Inhumanũ quidẽ hoc, & abominãdũ facinus, at multo magis deteſtãdũ, ipſos etiã ſũmos eccleſię principes, ac vera mũdi lumina ad perã & baculũ revocari. At nũc ferè, ſi quid laboris eſt, id Petro & Paulo relinquũt, quib. abũde ſatis eſt ocij. Porrò ſi quid ſplendoris, aut voluptatis, id ſibi ſumũt. Atq; ita fit

mea quidem opera, ut nullum pene hominum genus vivat mollius, minuſque ſolicitum, ut qui abunde Chriſto ſatisfactum exiſtiment, ſi myſtico ac penè ſcenico ornatu, cęremonijs beatitudinum, reverentiarum, ſanctitatum titulis, & benedictionibus, ac maledictionibus epiſcopos agant. Priſcum & obſoletum, nec horum omnino temporum, miracula ædere: docere populum, laborioſum: ſacras interpretari literas, ſcholaſticum: orare, ocioſum: lachrymas fundere, miſerum ac muliebre: egere, ſordidum: vinci, turpe, parumque dignum eo, qui vix reges etiam ſummos, ad pedum beatorum admittit oſcula: denique mori, inamabile: tolli in crucem, infame. Reſtant ſola hęc arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus, atque harum quidē ſunt ſane quā benigni, interdictiones, ſuſpēſiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices picturę, ac fulmen illud terrificū, quo ſolo nutu mortaliū animas vel ultra tartara mittunt. Quod ipſum tamē ſanctiſſimi in Chriſto patres, & Chriſti vicarij, in nullos torquent acrius, quā in eos, qui inſtigante diabolo, patrimonia Petri minuere atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

re atque arrodere conantur. Cuius cum hęc vox ſit in evangelio Reliquimus omnia,& ſequuti ſumus te, tamen huius patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia,portoria,ditiones. Pro quibus dum zelo Chriſti accenſi, ferro ignique dimicant,non abſque plurimo Chriſtiani ſanguinis diſpendio, tum demum eccleſiam Chriſti ſponſam ſeſe credunt apoſtolice defendere, fortiter profligatis,ut vocant,hoſtibus. Quaſi vero ulli ſint hoſtes eccleſię pernicioſiores, quam impij pontifices,qui & ſilentio Chriſtum ſinũt aboleſcere,&queſtuarijs legibus alligãt, & coactis interpretationibus adulterãt,&peſtilente vita iugulãt. Porrò cũ Chriſtiana eccleſia ſanguine ſit condita, ſanguine cõfirmata,ſanguine aucta,nunc perinde quaſi Chriſtus perierit,qui more ſuo tueatur ſuos, ita ferro rẽ gerũt. Cũque bellum res ſit adeo immanis, ut feras non homines deceat,adeo inſana, ut poetę quoque fingant à furijs immitti, adeo peſtilens,ut univerſam morũ luem ſimul invehat, adeo iniuſta,ut à peſſimis latronibus optime ſoleat adminiſtrari, adeo impia,ut nihil cohæreat cũ Chriſto, tamen omnibus omiſſis, hoc tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

NB agunt. Hic videas etiam decrepitos ſenes, iuvenilis animi robur præſtare, nec offendi ſumptibus, nec fatigari laboribus, nec deterreri quicquam, ſi leges, ſi religionem, ſi pacem, ſi res humanas omneis ſurſum ac deorſum miſceant. Neque deſunt adulatores eruditi, qui iſtã manifeſtariam inſaniam, zelum, pietatem, fortitudinem appellent, excogitata via: qua fieri poſſit, ut quis letale ferrum ſtringat, adigatque in fratris ſui viſcera, manente nihilominus charitate illa ſumma, quam ex Chriſti præcepto debet proximo Chriſtianus. Equidem incerta ſum adhuc, utrum his rebus exemplum dederint, an potius hinc ſumpſerint epiſcopi quidam Germanorum, qui ſimplicius, etiam omiſſo cultu, omiſſis benedictionibus, alijſque id genus cæremonijs, plane ſatrapas agunt, adeo, ut prope modum ignavum, parumq; decorum epiſcopo putent alibi, quam in acie, fortem animã deo reddere. Iam vero vulgus ſacerdotum, nephas eſſe ducens, à præſulum ſuorum ſanctimonia degenerare, euge quam militariter pro iure decimarũ, enſibus, iaculis, ſaxis, omniq; armorũ vi belligerantur, quam hic oculati, ſi quid

ſi quid ex veterum literis poſſint elicere, quo plebeculam territent, & pluſquam decimas deberi convincant. At interim non venit in mentem, quā multa paſſim legatur de officio, quod illi viciſſim præſtare populo debeāt. Nec ſaltē admonet eos vertex raſus, ſacerdotē omnibus huius mundi cupiditatibus liberum eſſe oportere, neque quicqnam niſi cœleſtia meditari. Sed homines ſuaves, ſe ſuo officio probe perfunctos aiunt, ſi preculas illas ſuas, utcunque permurmurarint, quas me Hercle demiror, ſi quis deus vel audiat, vel intelligat cum ipſi ferè nec audiāt, nec intelligāt, tum cum eas ore perſtrepunt. Verum hoc quidē ſacerdotibus eſt cum prophanis commune, ut ad emolumenti meſſem vigilent omnes, neque quiſquam ibi leges ignoret. Cęterum ſi quid ſarcinę, id prudenter in alienos humeros reijciunt, & alijs alij tanquam pilam per manus tradunt. Si quidem laici quoque principes, quemadmodum partes adminiſtrandi regni vicarijs delegant, & vicarius item vicario tradit, ita pietatis ſtudium omne plebi modeſtiæ cauſa relinqsunt. Plebs in eos reijcit, quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eccleſiaſticos vocant, perinde quaſi ipſis cum eccleſia nihil omnino ſit commercij, quaſi baptiſmi votis nihil prorſus ſit actum. Rurſum ſacerdotes qui ſeſe vocant ſeculares, quaſi mundo initiati, non Chriſto, inregulares onus hoc devolvunt, regulares in monachos, monachi laxiores in arctiores, omnes ſimul in mẽdicantes, mendicantes in Chartuſienſes, apud quos ſolos ſepulta latet pietas, & adeo latet ut vix unquã liceat cõſpicere. Itidẽ pontifices in meſſe pecuniaria diligentiſſimi, labores illos nimium apoſtolicos, in epiſcopos relegant, epiſcopi in paſtores, paſtores in vicarios, vicarij in fratres mendicantes. Hi rurſum in eos retrudunt, à quibus ovium lana tondetur. Verum non eſt huius inſtituti, pontificum ac ſacerdotum vitam excutere, ne cui videar ſatyran texere, non encomium recitare, neve quis exiſtimet bonos principes à me taxari, dum malos laudo. Sed hæc ideo paucis attigi, quo palam fieret, nullum eſſe mortalem, qui ſuaviter vivere poſſit, niſi meis initiatus ſit ſacris meque propiciam habeat. Nam id quo pacto fieri queat, cum ipſa etiam Rhamnuſia, rerum humanarum fortu-

natrix,

natrix, mecum adeo conſentiat, ut ſapientibus iſtis ſemper fuerit inimiciſſima, contra ſtultis etiam dormientibus omnia commoda adduxerit? Agnoſcitis Timotheum illũ, cui hinc etiam cognomẽ, & proverbium ἡ εὕδοντος κύρτος αἱρεῖ. Rurſum aliud γλαὺξ ἵπταται, Contra in ſapientes, quadrant illa, ἐν τετράδι γεννηθέντες, & equum habet Seianum, & aurum Toloſanum. Sed deſino παροιμιάζεσθαι ne videar Eraſmi mei commentaria ſuppilaſſe. Ergo ut ad rem, Amat fortuna parum cordatos, amat audaciores, & quibus illud placet πᾶς ἐρρίφθω κύβος. At ſapientia timidulos reddit, ideoque vulgo videtis, ſapientibus iſtis cum paupertate, cum fame, cum fumo rem eſſe: neglectos, ingloriós, inviſos vivere: ſtultos affluere nummis, admoveri Reip. gubernaculis, breviter florere modis omnibus. Etenim ſi quis beatum exiſtimet principibus placuiſſe viris, & inter aureos illos, ac gemmeos deos verſari, quid inutilius ſapientia, imo quid apud hoc hominum genus damnatius? Si divitiæ parandę ſunt quid

tandem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tandem lucri facturus eſt negociator, ſi ſapientiã ſecutus, periurio offendetur, ſi in mendacio deprehẽſus erubeſcet, ſi anxios illos de furtis, atq; uſuris ſapientum ſcrupulos, vel tantuli faciet? Porrò ſi quis honores, atque opes ambiat eccleſiaſticas, ad eas vel aſinus, vel bubalus citius penetrabit, quã ſapiens. Si voluptate ducaris, puellæ maxima huius fabulę pars, ſtultis toto pectore ſunt addictæ, ſapientem haud ſecus ac ſcorpium horrent, fugiuntque. Denique quicunq; paulo feſtivius ac lætius vivere parant, ſapientẽ in primis excludunt, ac quodvis animal potius admittunt. Breviter quoquò te vertas, apud pontifices, principes, iudices, magiſtratus, amicos, hoſtes, maximos, minimos, omnia pręſentibus nũmis parantur: quos uti contemnit ſapiens, ita illum ſedulo fugere conſueverunt. Sed cum laudum mearum nullus ſit modus, neque finis, tamen oratio aliquando finẽ habeat neceſſe eſt. Itaq; deſinam dicere, ſed ſi prius oſtendero paucis, non deeſſe magnos autores, qui me literis ſuis pariter ac factis illuſtrarint, ne cui forte ſtulte mihi ſoli videar placere neve legulei calumnientur, me nihil allegare. Ad ipſorum igitur exemplũ allegabimus, hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eſt, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Principio illud omnibus vel notiſſimo proverbio perſuaſum eſt, ubi res abeſt, ibi ſimulationẽ eſſe optimam. Eoq; recte ſtatim traditur hic verſus pueris: Stulticiam ſimulare loco ſapientia ſumma eſt. Vos iã ipſi conijcite, quam ingens ſit bonũ ſtulticia, cuius etiam fallax vmbra, & imitatio ſola, tantum laudis meretur à doctis. Sed multo candidius pinguis ille ac nitidus Epicuri de grege porcus, miſcere ſtulticiam con ſilijs iubet, tametſi brevem non admodũ ſcite addidit. Itẽ alibi, Dulce eſt deſipere in loco, Rurſum alio in loco mavult delirus, inersq; videri, quã ſapere, & ringi. Iã apud Homerũ Telemachũs, quem modis omnibus laudat poeta, ſubinde νήπιος appellatur, atq; eodẽ prænomine tanquã felicis ominis libenter pueros & adoleſcẽtes vocare ſolent tragici. Quid autem ſacrum Iliadis carmen, niſi ſtultorum regum & populorum continet æſtus? Porrò quam abſoluta laus illa Ciceronis? Stultorum plena ſunt omnia. Quis enim igno rat, unumquodq; bonũ, quo latius patet, hoc eſſe præſtantius? Atqui fortaſſis apud Chriſtianos horum levis eſt autoritas;

ritas: proinde ſacrarum quoque literarum teſtimonijs, ſi videtur, laudes noſtras fulciamus, ſive, ut docti ſolent, fundemus, principio veniam à theologis prçfatæ, ut nobis fas eſſe velint, deinde quoniam arduam rem aggredimur, & fortaſſis improbum fuerit, denuo Muſas ex Helicone, ad tantum itineris revocare, præſertim cũ res ſit alienior, fortaſſe magis conveniet optare, ut interim dum theologum ago perque has ſpinas ingredior, Scoti anima pauliſper ex ſua Sorbona in meum pectus demigret quo vis hiſtrice atq; erinaceo ſpinoſior, moxq; remigret quo lubebit, vel ἐς κόρακας. Vtinam & vultum alium liceat ſumere, & ornatus adſit theologicus. Verum illud interim vereor, ne quis me furti ream agat, quaſi clanculum magiſtrorum noſtrorum ſcrinia compilaverim, quæ tantum rei theologicç teneã. Sed non adeo mirum videri debet, ſi tam diutina, quç mihi arctiſſima eſt, cum theologis conſuetudine nonnihil arripui, cum ficulnus etiam ille deus Priapus, nonnullas Grçcas voces, legente domino, ſubnotarit tenueritque. Et Gallus Lucianicus longo hominum convictu ſermonem

humanum

humanum expedite calluerit. Sed iam ad rem bonis avibus. Scripſit Eccleſiaſtes capite primo: Stultorum infinitus eſt numerus. Cum numerum prędicat infinitum, nonnne mortaleis univerſos complecti videtur, præter pauculos aliquot, quos haud ſcio, an cuiquam videre contigerit? Sed magis ingenue confitetur hoc Hiere. capite decimo: Stultus, inquiens, factus eſt omnis homo à ſapientia ſua, Soli deo tribuit ſapientiam, univerſis hominibus ſtulticiam relinquens. Ac rurſum paulo ſuperius: Ne glorietur homo in ſapiētia ſua. Cur non vis hominem in ſua ſapientia gloriari optime Hieremia? Nimirum, inquiet, ob id, quia non habet ſapientiam. Sed ad Eccleſiaſten redeo. Hunc cum exclamat, vanitas vanitatum, & omnia vanitas, quid aliud ſenſiſſe creditis, niſi, quemadmodum diximus, vitam humanam nihil aliud quam ſtulticię ludicrum eſſe: nimirum Ciceronianę laudi album addit calculum, cuius optimo iure celebratur illud, quod modo retulimus: Stultorum plena ſunt omnia. Rurſum ſapiens ille Eccleſiaſticus, qui dixit, ſtultus mutatur ut luna, ſapiens permanet ut ſol, quid aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

aliud innuit, niſi mortale genus omne ſtultum eſſe, ſoli deo ſapientis nomen competere? Siquidem lunam humanam naturam interpretantur, ſolem omnis luminis fontem, deum. Huic aſtipulatur quod ipſe Chriſtus in evangelio negat, quenquam appellandum bonum, niſi deum unum. Porro ſi ſtultus eſt, quiſquis ſapiens non eſt, & quiſquis bonus, idem ſapiens, autoribus Stoicis, nimirum mortales omneis ſtulticia complectatur neceſſum eſſe. Iterum Salomon capite decimoquinto: Stulticia, inquit, gaudiũ ſtulto, videlicet manifeſte confitens, ſine ſtulticia nihil in vita ſuave eſſe. Eodẽ pertinet illud quoq;: Qui apponit ſciẽtiam, apponit dolorẽ, & in multo ſenſu multa indignatio. An non idem palam confitetur egregius ille concionator, capite ſeptimo? Cor ſapiẽtũ, ubi triſticia eſt, & cor ſtultorum, ubi læticia. Eoq; nõ ſatis habuit ſapiẽtiã perdiſcere, niſi noſtri quoque cognitionẽ addidiſſet. Quod ſi mihi parum habetur fidei, ipſius accipite verba. quæ ſcripſit capite primo: dediq; cor meum ut ſcirẽ prudentiã atq; doctrinã, erroreſq; & ſtulticiã. Quo quidẽ loco illud animadvertendum, ad ſtulticię laudem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dem pertinere,quod eam poſteriore po-
ſuit loco.Eccleſiaſtes ſcripſit,& hunc ſci
tis eſſe ordinem eccleſiaſticum,ut qui di-
gnitate primus ſit,is locum obtineat ex-
tremum, vel hic certe memor euangeli-
ci præcepti. Sed Stulticiam pręſtantio-
rem eſſe ſapientia, & eccleſiaſticus ille,
quiſquis fuit,liquido teſtatur,capite qua
drageſimo quarto,cuius me hercle verba
non prius proferã,quã εἰσαγωγὴν meã,
cõmoda reſponſione adiuveritis, ut fa-
ciunt apud Platonẽ hi qui cum Socrate
diſputant. Vtra magis convenit recõde-
re,quæ rara ſunt & precioſa,an quæ vul-
garia viliaque? Quid tacetis? Etiam ſi vos
diſſimuletis,proverbiũ illud Gręcorũ pro
vobis reſpõdet, τὴν ἐπὶ θύρας ὑδρίαν,
quod ne quis impie reijciat, refert Ari-
ſtoteles ,magiſtrorum noſtrorum deus.
An quiſquam veſtrum tam ſtultus eſt, ut
gemmas &aurum in via relinquat? non
hercle opinor. In abditiſſimis penetrali-
bus,nec id ſatis,in munitiſſimorum ſcri-
niorum ſecretiſſimis angulis, iſta reponi-
tis, cœnũ in propatulo relinquitis.Ergo
ſi quod precioſius eſt,recõditur,quod vi
lius,exponitur,nõne palam eſt,ſapiẽtiam
quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quam vetat abſcondi, viliorem eſſe ſtulticia quam recondi iubet? Iam ipſius teſtimonij verba accipite. Melior eſt homo qui abſcondit ſtultitiā ſuam, quam homo qui abſcondit ſapienciā ſuā, quid quod animi quoque candorem divinæ literæ ſtulto tribuunt, cum ſapiens interim neminem ſui ſimilem putet. Sic enim intelligo, id quod ſcribit eccleſiaſtes capite decimo: Sed & in via ſtultus ambulans, cū ipſe inſipiens ſit omneis ſtultos exiſtimat. An non iſtud eximij cuiuſdam cādoris eſt, omnes æquare tibi ipſi, cumque nemo non magnifice de ſe ſentiat, omnibus tamen tuas communicare laudes? Proinde nec puduit tantum regem huius cognominis, cum ait capite trigeſimo: Stultiſſimus ſum virorum. Neque Paulus ille magnus gentium doctor, Corintijs ſcribens, ſtulti cognomen illibenter agnoſcit: Vt inſipiens, inquit, dico, Plus ego, perinde quaſi turpe ſit vinci ſtulticia. Sed interim obſtrepūt mihi Græculi quidam, qui tot huius temporis theologorum, ceu cornicum oculos ſtudent configere, dum annotationes ſuas, veluti fumos quoſdam alijs offundunt, cuius gregis ſi non Alpha, certe Beta meus eſt Eraſmus, quem ego ſæpius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

honoris cauſa nomino. O vere ſtultam, inquiunt,& ipſa dignam Moria citationem. Longe diverſa mens apoſtoli,quam tu ſomnias. Nec enim hoc agit his verbis, ut cęteris ſtultior haberetur, verum cum dixiſſet miniſtri Chriſti ſunt,& ego, ſeque veluti iactabundus in hac quoque parte æquaſſet cæteris,per correctionem adiecit, plus ego, ſentiens ſe non modo parem reliquis apoſtolis in evangelij miniſterio, verum etiam aliquanto ſuperiorem. Idque cum ita verum videri vellet, ne tamen ut arrogantius dictum offenderet aures, præmunijt, ſtulticiæ prętextu. Vt minus ſapiens dico, propterea quod ſciret eſſe ſtultorum privilegium, ut ſoli verum citra offenſam proloquantur. Verũ quid Paulus ſenſerit cum hęc ſcriberet, ipſis diſputandum relinquo. Ego magnos, pingues, craſſos, & vulgo probatiſſimos theologos ſequor, cum quibus magna pars doctorum errare, νὴ τὸν Δία malit, quam cum iſtis trilinguibus bene ſentire. Neq; quiſquam illorũ Græculos iſtos pluris facit, quam graculos: præſertim cum quidam glorioſus thęologus, cuius ego nomen prudens ſupprimo, ne graculi noſtri continuo

Græ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Græcum in illum ſcomma iaciant ὄνος λύρας: magiſtraliter & theologaliter hunc paſſum enarrans, ab hoc loco, Vt minus ſapiens dico, plus ego, novū facit caput, & quod abſque ſumma dialectica non poterat, novam addit ſectionē, adhunc interpretans modum, Adducam enim ipſius verba, non ſolum in forma, uerum etiā in materia. Vt minus ſapiens dico, id eſt, ſi videor vobis inſipiens, me pſeudapoſtolis adæquando, adhuc uidebor vobis minus ſapiens, me eis præferēdo. Quanquā idē paulo poſt, uelut oblitus ſui, aliò delabitur. Sed cur anxie me unius exemplo tueor? cum hoc publicū ius ſit theologorū, cœlum, hoc eſt, divinam ſcripturam, ceu pellem extendere: cū apud divum Paulum pugnent divinæ ſcripturæ verba, quę ſuo loco nō pugnāt, ſi qua fides illi πενταγλώττῳ Hierōymo cum Athenis forte cōſpectum arę titulum torqueret in argumentū fidei Chriſtianæ, ac cęteris omiſſis, quę cauſæ fuerant offectura, duo tantū extrema verba decerpſerit, nēpe hæc, ignoto deo, atque hęc quoque nonnihil immutata: ſiquidē integer titulus ſic habebat, Dijs Aſiæ, Europę, & Africæ, dijs ignotis, & peregrinis. Ad huius, opinor, exemplū paſſim

iã οἱ τῶν θεολόγων παῖδες, hinc atq; hinc revulſa, quatuor aut quique verbula, & ſi quid opus eſt etiam depravata, ad ſuam accommodant utilitatem, licet ea quę præcedunt & conſequuntur, aut nihil omnino faciant ad rem, aut reclament quoq;. Quod quidem faciunt tam felici impudentia, ut ſæpenumero theologis invideãt iure conſulti: Quid enim illis iã nõ ſuccedat: poſteaquã magnus ille, penè nomen effutiveram, ſed rurſus me tuo Gręcũ proverbiũ, ex Lucæ verbis ſententiã expreſſerit, tam conſentaneã animo Chriſti, quã igni cũ aqua convenit. Etenim cum immineret extremũ periculũ, quo tempore ſolent boni clientes maxime ſuis adeſſe patronis, & quãta valent ope ζυμμαχεῖν, Chriſtus hoc agens, ut omnem huiuſmodi pręſidiorum fiduciã eximeret ex animis ſuorum, percontatus eſt eos, num quid rei defuiſſet uſquam, cum illos emiſiſſet, adeo non inſtructos viatico, ut nec calceis muniret adverſus ſpinarum & ſaxorum iniuriaum, nec peram adderet, adverſus famem: Vbi negaſſent defuiſſe quicquam, adiecit: Sed nunc, inquit, qui habet ſac-

culum

culum tollat,ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium, Cum tota Chriſti doctrina, nihil aliud inculcet, quam manſuetudinem, tolerantiam, vitæ contemptum, cui non perſpicuum, quid hoc loco ſentiat? nempe ut magis etiam exarmet ſuos legatos, ut non tantũ calceos negligant & peram, verum & tunicam inſuper abijciant, nudique & prorſus expediti, munus evangelicum aggrediantur, nihil ſibi parent, niſi gladium, non iſtum quo graſſantur latrones, & parricidę, ſed gladium ſpons, in intimos quoque pectoris ſinus penetrantem, qui ſemel affectus omneis ſic amputat, ut nihil iam illis cordi ſit, prǫter pietatem. At videte, quæſo, quorſum hęc torqueat celebris ille theologus. Gladium interpretatur defenſionem adverſus perſecutionem, ſacculum ſufficientem commeatus proviſionem, perinde quaſi Chriſtus commutata in diverſum ſententia, quod oratores ſuos parum βασιλικῶς inſtructos emiſiſſe videretur, ſuperioris inſtitutionis palinodiam canat. Aut velut oblitus quod dixerat beatos fore, cum probris contumelijs & ſupplicijs afficerentur, prohibens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

bens ne quando reſiſterent malo, mites enim beatos eſſe, non feroces, oblitus quod illos ad paſſerum, & liliorum exemplum vocarit, nunc adeo noluerit eos abſque gladio proficiſci, ut eum vel tunica divendita iubeat emi, malitque nudos ire, quam non accinctos ferro. Ad hęc quemadmodum gladij nomine contineri putat, quicquid ad depellendam vim pertinet, ita marſupij titulo complectitur, quicquid ad vitæ pertinet neceſſitatem. Atque ita divinę mentis interpres apoſtolos lanceis, baliſtis, fundis & bombardis inſtructos educit ad prædicationem crucifixi. Loculis item, vidulis, & ſarcinis onerat, ne forte non liceat illis è diverſorio diſcedere, niſi impranſis. Nec vel illud commovit hominem, quod enſem, quem tantopere iuſſerat emi, mox idem obiurgans iubeat recondi, quodque nunquam fando ſit auditum, apoſtolos enſibus aut clypeis uſos adverſus vim ethnicorum, utique uſuros, ſi Chriſtus hoc ſenſiſſet, quod hic interpretatur. Eſt alius, quem honoris cauſa non nomino, haud quaquam poſtremi nominis, qui è tentorijs, quorum meminit Habacuk, turbabuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pelles terrę Madian, pellem fecerit Bar
tholomęi excoriati. Ipſa nuper inter ſui
diſſertationi theologicę, nam id facio
frequenter. Ibi cum quiſpiam exigeret,
quæ tandem eſſet divinarum literarum
autoritas, quę iuberet hæreticos incen-
dio vinci, magis quam diſputatione re-
vinci, Senex quidam ſeverus, & vel ſu-
percilio teſte theologus, magno ſtoma-
cho reſpondit, hanc legem tuliſſe Pau-
lum apoſtolum, qui dixerit: Hereticum
hominem poſt unam & alteram correp-
tionē devita. Cumque ea verba identidē
intonaret, & pleriq; demirarentur quid
accidiſſet homini, tandē explanavit, de
vita tollendum hæreticū. Riſere quidā,
nec deerant tamē quibus hoc commentū
planè theologicum videretur, cęterū re-
clamantibus etiamnū nonnullis ſucceſſit
τενέδιος, quod aiunt. συνήγορος &
autor irrefragabilis, Accipiterem, inquit,
Scriptum eſt maleficum ne patiaris vi-
vere, omnis hæreticus maleficus, ergo
&c. Mirari quotquot aderant, hominis
ingenium, & in eam ſententiam itum eſt
pedibus, & quidem peronatis. Neque
cuiquam venit in mentem legem eam ad
ſorti-

ſortilegos & incantatores, ac magos attinere, quos Hebræi ſua lingua vocant *magos* alioqui fornicationem & ebrietatem capite punire oportuit. Verum hęc ſtulte perſequor, tam innumera, ut nec Chryſippi, nec Didymi voluminibus omnia comprehendi poſſint. Illud duntaxat admonitos volebam, cum hęc divinis illis magiſtris licuerint, mihi quoque planè συκίνῳ θεολόγῳ, par eſt dare veniam, ſi minus omnia ad amuſſim citavero. Nunc tandem ad Paulum redeo: Libenter, inquit, fertis inſipientes, de ſeſe loquens. Et rurſum, velut inſipientem accipite me, & non loquor ſecundum deum, ſed quaſi in inſipientia, Rurſus alibi: Nos, inquit, ſtulti propter Chriſtum. Audiſtis à quanto autore quanta ſtulticię pręconia. Quid, quod idem palam ſtulticiam pręcipit, ut rem inprimis neceſſariam, & oppido ſalutarem. Qui videtur eſſe ſapiens inter vos, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Et apud Lucam, duos diſcipulos, quibus ſe iunxerat in via Ieſus, ſtultos appellat. Illud haud ſcio, an mirũ videatur, cum deo quoque nonnihil ſtulticię tribuit divinus ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Paulus. Quod ſtultum eſt, inquit, dei, ſapientius eſt hominibus. Porrò Origenes interpres obſiſtit, quo minus hanc ſtulticiam ad hominum opinionem poſſis referre: quod genus eſt illud, verbum crucis per euntibus quidem ſtulticiam. Sed quid ego fruſtra anxia, tot teſtimonijs hæc docere pergo, cum in pſalmis myſticis palàm ipſe Chriſtus loquatur patri, Tu ſcis inſipientiam meam? Neque vero temere eſt, quod Deo ſtulti tam impenſe placuerunt: opinor propterea, quod quemadmodum ſummi principes nimium cordatos ſuſpectos habẽt, & inviſos, ut Iulius Brutũ & Caſſiũ, cum ebrium Antoniũ nihil metueret, utq; Nero Senecam, Dionyſius Platonẽ, contra craſſioribus ac ſimplicioribus ingenijs delectantur, itidẽ Chriſtus σοφοὺς iſtos, ſuęque nitentes prudentię ſemper deteſtatur, ac damnat: teſtatur id Paulus haudquaquam obſcure cum ait, Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus: cumque ait, deo viſum eſſe, vt per ſtulticiam ſervaret mundum, quandoquidem per ſapientiam reſtitui non poterat. Quin ipſe idem ſatis indicat, clamans per os prophetę,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

phetę, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium re probabo. Rurſum, cum agit gratias, quòd ſalutis myſterium cœlaſſet ſapientes, parvulis autem, hoc eſt ſtultis, aperuiſſet. Nam Græce pro parvulis eſt νηπίοις, quos oppoſuit σοφοῖς. Huc pertinet quod paſſim in evangelio Phariſęos & ſcribas, ac legum doctores inceſſit, vulgus indoctum ſedulo tuetur. Quid enim aliud eſt, Væ uobis Scribę & Phariſęi, quam væ vobis ſapientes? At parvulis, mulieribus, ac piſcatoribus potiſſimum delectatus eſſe videtur. Quin & ex animantium brutorum genere, ea potiſſimum placēt Chriſto, quæ à vulpina prudentia quàm longiſſime abſunt. Eoque aſino maluit inſidere, cum ille, ſi libuiſſet, vel leonis tergum impune potuiſſet premere. Ac ſpiritus ille ſacer in columbę ſpecie delapſus eſt, non aquilę aut milui. Præterea cervorum, hinnulorum, agnorũ crebra paſſim in diuinis literis mentio. Adde quod ſuos ad immortalem vitam deſtinatos oves appellat. Quo quidem animante non eſt aliud inſipientius: vel Ariſtotelico proverbio teſte. προβά-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

τειον ἦθος, quod quidem admonet, ab eius pecudis ſtoliditate ſumptum, in ſtupidos & bardos convicij loco dici ſolere. Atqui huius gregis Chriſtus ſeſe paſtorem profitetur, quin etiam ipſe agni nomine delectatus eſt, indicante eum Ioanne, Ecce agnus Dei: cuius multa fit & in Apocalypſi mentio. Hæc quid aliud clamitant, niſi mortales omneis ſtultos eſſe etiam pios? ipſum quoque Chriſtum, quo ſtulticiæ mortalium ſubveniret, cum eſſet ſapientia patris, tamen quodammodo ſtultum eſſe factum, cum hominis aſſumpta natura, habitu inventus eſt vt homo? quemadmodum & peccatum factus eſt, ut peccatis mederetur. Neque alia ratione mederi voluit, quam per ſtulticiam crucis, per apoſtolos idiotas, ac pingues: quibus ſedulo ſtulticiam præcipit, à ſapientia deterrens, cum eos ad puerorum, liliorum, ſinapis, & paſſerculorum exemplum provocat, rerum ſtupidarum ac ſenſu carentium, ſoloque naturę ductu, nulla arte, nulla ſolicitudine, vitam agentium. Pręterea cum vetat eſſe ſolicitos, qua eſſent apud præſides oratione uſuri, cumque interdicit, ne ſcrutentur tempora vel momenta temporum,

temporum, videlicet, ne quid fiderent ſuæ prudentię, ſed totis animis ex ipſo penderent. Eodem pertinet, quod deus ille orbis architectus interminatur, ne quid de arbore ſcientiæ deguſtarent, perinde quaſi ſcientia felicitatis ſit venenū. Quanquam Paulus aperte ſcientiam, veluti inflantem & perniciosſam improbat. Quem divus Bernardus, opinor, ſequutus, montē eum in quo lucifer ſedē ſtatuerat, ſcientiæ montem interpretatur. Fortaſſe nec illud omittendum videatur argumentum, gratioſam eſſe apud ſuperos ſtulticiam quod huic ſoli datur erratorum venia, ſapienti non ignoſcitur: unde qui veniam orant, etiam ſi prudentes peccaverint, tamen ſtulticię prętextu patrocinioque utuntur. Nam ſic Aaron ſororis pœnam deprecatur in Numerorum, ſi ſatis commemini, libris. Obſecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus. Sic & Saul apud David culpam deprecatur, Apparet enim, inquiens quod ſtulte egerim. Rurſum ipſe David ita blanditur domino, Sed precor domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egimus: perinde quaſi non impe-

traturus veniam, niſi ſtulticiam & inſcitiam obtenderet. Sed illud acrius urget, quod Chriſtus in cruce, cum oraret pro ſuis inimicis, Pater ignoſce illis: non alia prætexuit excuſationem, quam imprudentiæ, quia neſciunt, inquid, quid faciunt. Ad eundem modum Paulus ſcribens ad Timotheum. Sed ideo miſericordiam dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Quid eſt, ignorans feci, niſi per ſtulticiam feci, non maliciam? Quid eſt, ideo miſericordiam conſecutus ſum, niſi non cõſecuturus, ni ſtulticię patrocinio commendatus? Pro nobis facit & myſticus ille pſalmographus, qui ſuo loco non veniebat in mẽtẽ, Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Audiſtis quæ duo prætexat, nimirum ætatem, cui ſemper comes eſſe ſoleo, & ignorantias idque numero multitudinis, ut ingentem ſtulticiæ vim intelligeremus. Ac ne quę ſunt infinita perſequar, utque ſummatim dicam, videtur omnino Chriſtiana religio quandam habere cum aliqua ſtulticia cognatonem, minimeque cum ſapientia convenire. Cuius rei ſi deſideratis argumenta, primum illud animadvertite,

pue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pueros, ſenes, mulieres, ac fatuos ſacri ac religioſis rebus pręter cæteros gaudere, eoque ſemper altaribus eſſe proximos, ſolo nimirum naturæ impulſu. Pręterea videtis primos illos religionis autores, miræ ſimplicitatem amplexos, acerrimos literarum hoſtes fuiſſe. Poſtremo nulli moriones magis deſipere videntur, quam hi, quos Chriſtianæ pietatis ardor ſemel totos arripuit: adeo ſua profundunt, iniurias negligunt, falli ſeſe patiuntur, inter amicos & inimicos nullum diſcrimen, voluptatem horrent, inedia, vigilia, lachrymis, laboribus, contumelijs ſaginantur, vitam faſtidiunt, mortem unice optant, breviter ad omnem ſenſum communem prorſus obſtupuiſſe videntur, perinde quaſi alibi vivat animus, non in ſuo corpore. Quod quidem quid aliud eſt, quam inſanire? Quo minus mirum videri debet, ſi apoſtoli muſto temulenti ſunt viſi, ſi Paulus iudici Feſto viſus eſt inſanire. Sed poſteaquam ſemel τὴν λεοντὴν induimus, age doceamus & illud felicitatem Chriſtianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud eſſe, quàm inſanię ſtulticięque genus quoddam: abſit invidia verbis, rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ipſam potius expendite. Iam primum illud propemodũ Chriſtianis convenit cum Platonicis, animum immerſum alligatumque eſſe corporeis vinculis, huiuſque craſſitudine præpediri, quo minus ea quæ vere ſunt, contemplari, fruique poſſit. Proinde philoſophiam definit eſſe mortis meditationem, quod ea mentem à rebus viſibilibus, ac corporeis abducat, quod idem utique mors facit. Itaque quã diu animus corporis organis probe utitur, tam diu ſanus appellatur. Verum ubi ruptis iam uinculis, conatur in libertatem aſſerere ſeſe, quaſique fugam ex eo carcere meditatur, tum inſaniam uocant. Id ſi forte contingit morbo, uitioque organorum, prorſus omnium conſenſu inſania eſt. Et tamen hoc quoque genus hominum uidemus futura prędicere, ſcire linguas, ac literas, quas ante nunquam didicerant, & omnino divinum quiddam prę ſeſe ferre. Neq; dubium eſt id inde accidere, quod mens à contagio corporis paulo liberior, incipit natiuam ſui vim exerere. Idẽ arbitror eſſe in cauſa, cur laborantibus vicina morte ſimile quiddam ſolet accidere, vt tanquam afflati prodigioſa quędam

dam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dam loquantur. Rurſum ſi id eveniat ſtudio pietatis, fortaſſe non eſt idem inſaniæ genus, ſed tamen adeo confine, vt magna pars hominum meram inſaniam eſſe iudicet, præſertim cum pauculi homunciones ab universo mortalium cœtu, tota uita diſſentiant. Itaque ſolet ijs uſu venire, quod iuxta Platoni cum figmentum opinor, accidere ijs, qui in ſpecu vincti rerum umbras mirantur, & fugitiuo illi, qui reuerſus in antrum, veras res vidiſſe ſe prædicat, illos longe falli, qui præter miſeras umbras nihil aliud eſſe credant. Etenim ſapiens hic commiſeratur, ac deplorat illorum inſaniam, qui tanto errore teneantur. Illi uiciſsim illum veluti delirantem rident, atque eijciunt, Itidem vulgus hominum ea quę maxime corporea ſunt maxime miratur, eaq; propè ſola putat eſſe. Contra pij, quo quicque propius accedit ad corpus, hoc magis negligunt, totique ad inuiſibilium rerum contemplationem rapiuntur. Nam iſti primas partes tribuunt diuitijs, proximas corporis commodis, poſtremas animo relinquunt: quem tamē pleriq; nec eſſe credunt, quia nō cernatur oculis. E diverſo illi primū in

ipſum deum, rerum omnium ſimpliciſſimum toti nituntur: ſecundum hunc & tamen in hoc, quod ad illum quam proxime accedit, nempe animum: corporis curam negligunt, pecunias ceu putamina prorſus aſpernantur ac fugitant. Aut ſi quid huiuſmodi rerum tractare coguntur, gravatim ac faſtidienter id faciunt, habent tanquam non habentes, poſſident tanquam non poſſidentes. Sunt & in ſingulis rebus gradus multum inter iſtos diverſi. Principio ſenſus tametſi omnes cum corpore cognationem habent, tamen quidam ſunt ex his craſſiores, ut tactus, auditus, viſus, olfactus, guſtus. Quidam magis à corpore ſemoti, veluti memoria, intellectus, voluntas, igitur ubi ſe intenderit animus, ibi valet. Pij quoniam omnis animi vis ad ea contendit, quę ſunt à craſſioribus ſenſibus alieniſſima, in his velut obbruteſcunt, atque obſtupeſcunt. Contra vulgus in his plurimum valet, in illis quam minimum. inde eſt, quod audimus nonnullis divinis viris accidiſſe, ut oleum vini loco biberint. Rurſum in affectibus animi quidam plus habent cum pingui corpore commercij, veluti libido, cibi ſom-

nique

nique appetentia, iracundia, ſuperbia, invidia, cum his irreconciliabile bellum pijs, contra vulgus ſine his vitã eſſe non putat. Deinde ſunt quidam affectus medij, quaſique naturales, ut amor patriæ, charitas in liberos, in parentes, in amicos. His vulgus nonnihil tribuit. At illi hos quoque ſtudent ex animo revellere, niſi quatenus ad ſummam illam animi partem aſſurgunt, ut iam parentẽ ament, non tanquam parentẽ, quid enim ille genuit, niſi corpus? quanquam hoc ipſum deo parenti debetur, ſed tanquam virum bonum, & in quo luceat imago ſummæ illius mentis, quam unam ſummum bonum vocant, & extra quam nihil nec amandum, nec expetendum eſſe prædicant. Hac eadem regula reliqua item omnia vitę officia metiuntur, ut ubique id quod viſibile eſt, ſi non eſt omnino contemnendum, tamen longe minoris faciant, quam ea quę videri nequeunt. Aiunt autem & in ſacramentis, atque ipſis pietatis officijs corpus & ſpiritum inveniri. Velut in ieiunio non magni ducunt, ſi quis tantum à carnibus cœnaque abſtineat, id quod vulgus abſolutum eſſe ieiunium exiſtimat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

mat, niſi ſimul & affectibus aliquid adimat, ut minus permittat iræ quam ſoleat, minus ſuperbiæ: utque ceu minus iam onuſtus mole corporea ſpiritus, ad cœleſtium bonorum guſtum, fruitionemque enitatur. Similieer & in Synaxi, tametſi non eſt aſpernandum, inquiunt, quod cæremonijs geritur, tamen id per ſe, aut parum eſt conducibile, aut etiam perniciosum, niſi id quod eſt ſpiritale acceſſerit, nempe hoc quod ſignis illis viſibilibus repręſentatur. Repręſentatur autem mors Chriſti, quam domitis, extinctis, quaſique ſepultis corporis affectibus, exprimere mortales oportet, ut in novitatem vitæ reſurgant, utque unum cum illo, unum item inter ſeſe fieri queant. Hæc igitur agit, hæc meditatur ille pius. Contra vulgus ſacrificium nihil aliud eſſe credit, quàm adeſſe altaribus, idque proxime, audire vocum ſtrepitum, aliaſque id genus cęremoniolas ſpectare. Nec in his tantum, quę duntaxat exempli gratia propoſuimus, ſed ſimpliciter in omni vita reſugit pius ab his, quę cor-

pori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pori cognata ſunt, ad ęterna, ad inviſibilia, ad ſpiritalia rapitur. Proinde cum ſumma ſit inter hos & illos omnibus de rebus diſſenſio, fit ut utrique alteris inſanire videantur. Quanquam id vocabuli rectius in pios competit, quam in vulgus, mea quidem ſententia. Quod quidem magis perſpicuum fiet, ſi quemadmodum pollicita ſum, paucis demonſtraro, ſummum illud pręmium nihil aliud eſſe quam inſaniam quandam. Primum igitur exiſtimate Platonem tale quiddam iam tum ſomniaſſe, cum amantium furorem omnium feliciſſimum eſſe ſcriberet: Etenim qui vehementer amat, iam non in ſe vivit, ſed in eo quod amat, quoque longius à ſe ipſo digreditur, & in illud demigrat, hoc magis ac magis gaudet. Atque cum animus à corpore peregrinari meditatur, neque probe ſuis utitur organis, iſtud haud dubie furorem recte dixeris. Alioqui quid ſibi vult, quod vulgo etiam dicunt: Non eſt apud ſe, & ad te redi, & ſibi redditus eſt? Porro quo amor eſt abſolutior, hoc furor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eſt maior, ac felicior. Ergo quæ nam futura eſt illa cœlitum vita, ad quam piȩ mentes tanto ſtudio ſuſpirant? Nempe ſpiritus abſorbebit corpus, utpote victor ac fortior. Idque hoc faciet facilius partim quod iam olim in vita corpus ad huiuſmodi transformationem repurgarit, atque extenuarit. Deinde ſpiritus à mente illa ſumma mire abſorbebitur quippe infinitis partib. potentiore. Ita ut iam totus homo extra ſe futurus ſit, nec alia ratione felix futurus, niſi quod extra ſeſe poſitus, patietur quiddam ineffabile à ſummo illo bono, omnia in ſe rapiente. Iam hęc felicitas quanquam tum demum perfecta contingit, cum animi receptis priſtinis corporibus immortalitate donabuntur, tamen quoniam piorum vita nihil aliud, quam illius vitæ meditatio, ac velut umbra quædam, fit ut pręmij quoque illius aliquando guſtum aut odorem aliquem ſentiant, Id tametſi minutiſſima quædam ſtillula eſt ad fontem illum ęternæ felicitatis, tamen longe ſuperat univerſas corporis voluptates, etiam ſi omnes omnium mortalium delicię in unum conferantur. Vſque adeo præſtant ſpiritualia corporalibus, inviſibilia viſi-

bilibus. Hoc nimirum eſt quod pollicetur propheta: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quę præparavit deus diligentibus ſe. Atque hæc eſt Mariæ pars, quæ non aufertur commutatione vitæ, ſed perficitur. Hoc igitur quibus ſentire licuit, contingit, autem per paucis, ij patiuntur quiddam dementiæ ſimillimum, loquuntur quædam non ſatis cohærentia, nec humano more , ſed dant ſine mente ſonum, deinde ſubinde totam oris ſpeciem vertunt. Nunc alacres, nunc deiecti, nunc lachrymant, nunc rident, nunc ſuſpirant, in ſumma, vere toti extra ſe ſunt. Mox ubi ad ſeſe redierint, negant ſe ſcire ubi fuerint, utrum in corpore, an extra corpus, vigilantes, an dormientes, quid audierint, quid viderint, quid dixerint, quid fecerint, non meminerunt, niſi tanquam per nebulam, ac ſomnium, tantum hoc ſciunt ſe feliciſſimos fuiſſe, dum ita deſiperent. Itaque plorant ſeſe reſipuiſſe, nihilque omnium malint, quàm hoc inſaniæ genus perpetuo inſanire. Atque hæc eſt futuræ felicitatis tenuis quædam deguſtatiuncula. Verum ego iamdudum oblita mei

ta mei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ta mei ὑπὲρ τὰ δ'υναμμένα πηδῶ. Quã-
quam ſi quid petulantius aut loquacius
à me dictum videbitur, cogitate & ſtul-
ticiam, & mulierem dixiſſe. Sed interim
tamẽ memineritis illius Græcanici pro-
verbij, πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ
κατακαίριον εἶπεν, niſi forte putatis hoc
ad mulires nihil attinere. Video vos epilo
gum expectare, ſeu nimium deſipitis, ſi-
quidem arbitramini me quid dixerim
etiamnum meminiſſe, cum tantam ver-
borum farraginem effuderim. Vetus
illud, μισῶ μνάμονα συμπόταν. Novũ
hoc, μισῶ μνάμονα ἀκροατήν. Quare
valete, plaudite, vivite, bibite, Moriç ce-
leberrimi myſtæ, τέλος.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

IVSTI LIPSI

SATYRA MENIPPÆA.

SOMNIVM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

IVSTI LIPSI

SATYRA MENIPPÆA.

SOMNIVM.

Apta ad ritum priſci Senatus:

QVID *hoc anno Romæ in Senatu, dictum, actum, cautum ſit, volo memoriæ prodere. Fruſtrà me reſpicis cum ſublato digito. Sigalion. non debet ſilentio perire res tam magna. Dicam quæ vidi, quæ audivi, quibus interſui. quis vetat? Ego ſcio coactores abiſſe, & niveam libertatem rediſſe. Si vera dicam, agnoſcite: ſi falſa, ignoſcite. Adeon' hoc ævo difficilis venia unius mendacij eſt? Nonne*

&

& ego ſcio, quo loco extra portam Capenam aqua Mercurij ſit? Scio & iampridem ea me adſperſi: provide & in anteceſſum.

Deſierant latrare canes, urbéſque ſilebant,
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.

vel, ut cum Varrone clarius dicam, iam noctis meridies erat: cum tetigit me virga valentiore Dîus Somnus. Autumni tempus erat. itaque multæ & variæ circum caput meum volitantes umbræ: donec ſub Auroram Somnium ad me venit, longum, firmum, certum. Nam rectà advolare mihi viſum è Cornea porta. Eius hic habitus, & forma. Viſus mihi ſum Romæ eſſe in foro, ad radices montis Palatini. Solitudo primò circa me: inde, ut fluctus è mari, paullatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tim ſurgere viſa ingens multitudo, pallentium, exſanguium, macilentorum, & à quibus Cæſar iure timuiſſet. Si rectè notavi in crepera adhuc luce, partim è Bibliotheca Tiberiana veniebant, partim Vlpia, ubi lintei & Elephantini libri. Recta illis iter ad templum Apollinis Palatini. Inſpexi curioſè ſiquis mihi notus. ecce autem, Dulciſſime, te video? inquam ad Duzam. tu hic es? At ille vultuoſè.

Homer. Quis? quorum hominum quæ tibi urbs? qui parentes,

Τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;

Itaque ergo excidit tibi Lipſius tuus? inquam. an notorem me dare vis? Et iam ruebam in amplexus: cum ille effuſus in me, Vigilion' an dormio? & ſatis acceptum te eſſe Lipſium meum? Quis Deus autem e Bel-

Imitatum ex Hom. Dius me par ſomnium duxit Somnus,

e Belgis te hic ſtitit? Deus, inquã.
—θεῖος με ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος.
Sed dic, ſodes, hanc turbam ſcis quæ ſit? Vah, inquit, turbam tu appellas? Senatus eſt litteratorum. Edicta olim in pilis columniſque appenſa, *Ego intentior iam & attentior, Senatus ais? quo autem, & quid? Ille me prenſum manu ſiſtit ad* pilam unam, ſive columna fuit, in porticu templi Apollonis; & oſtendens ſuſpenſam tabellam, Lege, inquit, heſternum hoc edictum. Legi clare (iam enim lucebat) in hæc verba.**B. F. Conſul M. Tullius, M. F. Cicero die craſtini Senatum in Templo Apollinis cum prima luci habebo. Qui Patres, qui conſcripti, quibuſque in Senatum veniendi ius eſt, moneo ſive iubeo frequentes adeſte. De

Bonum factum,

ſum-

ſumma Rep. agi ſcitote. Qui nec aderit, multam pignuſue capiam: excuſationem nõ capiam. *Parabam quærere, ſed Duza me duxit porro ad veſtibulum ipſum, ad itumque templi. Video intrantes pauculos ſenes, paucos viros, pleroſque iuvenes, & quoſdam imberbes adoleſcentes. Et intrabant parum decore. Ego ad Duzam, Eugepæ! inquam, -*ἄθροος ὄχλος. Ωθεῦνθ' ὥσπερ ὕες.*

Tam numeroſus autem iſte Senatus eſt? nonne lex mosque vetus coërcebat intra quadringentos? Mihi Duza, Ita eſt, ait, neque enim olim tam vulgo admittebant Cenſores. Nunc quid? placitum eſt Divi Iulij exemplum, & adſcripti paſſim in hunc ordinem ſemibarbari, ſemigræci, ſemilatini.

*Theocriti, Confuſa turba, Trudunt velut ſues,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Denique anno, & horno, magnus proventus in Germania poëtarum fuit.

—* ὡς μύρμακες, ἀνήριθμοι καὶ ἄμετροι.

*Theocrit velut formicæ, innumeri, & infiniti.

Itaque valde numerus noſter auxit. Dum fabulamur, faſces ecce duodecim procedunt, & auditus ſtrepitus lictorum ſubmoventium turbam. Conſul hic eſt (ad me Duza) M. Tullius. Vnus tãtum? inquam ego. Vbi, & quis collega eius? M. Attius Plautus eſt, inquit: ſed cubare enim in morbo aiunt, neſcio vbi & a quo nuper male acceptum. Interibi video Conſulem, ex lege, ante Curiam ſacrificantem, & manibus exta tenentem parum læta. Civilis diſſidij notas repperiſſe aiebat aruſpex. Ecce autem prælati & ſex alij faſces.

Prætor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

*Prætor eſt huius anni M.Cato, ait Duza. Sed quid ſtamus? iam introitum oportuit. Ego admirans, Etiam tu in Senatu es? Quippini, inquit, inter Aedilicios? & * nuper adeo præbui ludos. Sequere. & ſimul traxit me pallio renitentem. Non hercle ego, non ego, inquam. Metuis? ait. validiſſime, legem, inquio, quæ Senatu arcet non Senatorē. Ille ridens, Ita olim fuit, inquit, cum Moribus antiquis res Romana viriſque ſtetit: nunc Divus Auguſtus permiſit protinus virili togæ latum clavum inducere, & curiæ intereſſe. Denique habes tabellam & ſtylum? Tria verba Latina ſcribe: ego tibi ſpondeo & reſpondeo, non ſurcillabit te quiſquam Cenſor. Iam intrabamus: cum vidit me, uti de via eram, gladio accin-*

* In Satyris quas dedit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ctum Duza. Heus heus, inquit, pone. Quid ponam? inquam ego. Gladium, ait. nefas enim in conſpectu magiſtratus. Ego diſcinxi, & intravi. Conſpicio ſubſellia ſane longa. in ſummo ſedentes, Capitones, Labeones, Silones, Frontones, omnes ſeveros & —ἑλκεσιπέπλους: in medio Philoſophos, Medicos, Hiſtoricos: in imo, Comicos, Tragicos, Lyricos, Epicos poëtas. quoſdam ex ijs pannoſos, obſitos, quoſdam lauru & anulo inſignes, & Palatij Comitiua. Qui iſti cum lauru? inquam ego. Illine? ait Duza. Poetæ ſunt e nupero fœtu. Cur autem coronati? inquio. an vicerunt agonẽ Capitolinum? Non, ait. ſed hodie ita mos valet, ut non Phœbus, ſed Imperator faciat vates: corona & anulo donet, inter equites ſcribat imo

inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

inter Comites. Hem! inquam, ſcilicet ad Cæſaris in Laberio exemplum. Sparſim adhuc ſtabant Patres, muginanteſq; & murmurantes: cum e curuli ſua ſurgens Cicero ſilentium manu popoſcit, & impetravit. Quies alta fuit, qualis conticinio noctis ſolet, ut audiremus.

Florem illibatum populi,
Suadæque medullam.

Ille vultu manuque formatus in habitum oratorum ſic cœpit.

Etſi meæ partes ſunt P. C. magis exquirendę ſententiæ, quam dicendæ: tamen in hac tanta re publica quæ agitur, neceſſario prædicenda quædam videntur. Memoria tenetis, quod gaudium omnium noſtrum fue- Oratio Ciceronis in Correctores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

rit, cum ante paucos annos in Europa renatum vidimus nomen Litterarum. Legebamur, colebamur, e ſitu & tenebris eruebamur: adnitente in Italia Leone, in Gallijs Franciſco, divina quadam virtute viris. Quid multa? in ſpem, imo fiduciam ingreſſi eramus recipirandæ priſtinæ dignitatis. Cum ecce exortum eſt genus hominum audax, inquies, ambitioſum, qui Correctores ſe dicunt. Incredibile eſt P.C. quam ſtragem & quã late dederit iſta lues. Philoſophi Rhetoreſq; olim a maioribus noſtris urbe pulſi ſunt, ob ſuſpicionem non maleficę, ſed novitiæ

do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

doctrinæ: nos Tarquinios iſtos impune graſſari patiemur? At enim nequid præter legem, inquiunt, & clementiam maiorum: Habemus vero P.C. habemus eiuſmodi legem; ſed tãquam gladium in vagina reconditum, cuius aciem patimur hebeſcere. An non lex Cornelia, de ſicarijs eſt? Non ſicarij iſti? Quoties ergo prehenſi cum ſtylo & telo ſunt, Sevocis Iugulandæ cauſſa? Sedete, & exſpectate exemplum Caligulę, ut graphijs in Curia diſcrepant unum aliquem Senatorem. Augeo hæc ſcilicet, & invidiæ flammam ſubijcio viris bonis. Vtinam! Sed quis ex iſtis nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

adit, nos legit, niſi urendi ſecandique cauſſa? Id enim vocant corrigere. *Hoc rectum eſt,*
„*hoc non rectum. hoc non implet*
„*aures meas. hoc non Latinum,**
„*etiamſi Cicero ita locutus ſit.*

Verba Lambini,

Stigmatias hic locus. hic mutilus. Bene, & in tempore acclamaſtis P. C. crucem illis. Poſtremi hominum, vos conſularibus viris, claris per tot imagines maiorum, frontem faciemque ſignetis per ludum & iocum? Nosipſi P. C. quoties iſtorum telis & inſidijs appetiti ſumus? A viginti iam annis Correctorum notis diſtrahor, laceror: & minutis ictibus cottidie ferior, vt ſentiam me mori. Nam illud miſeri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

rimum eſt, quod honeſte ſaltem occumbere non licet, & defungi una plaga. Thuſcus aliquis in me ſævijt; Thuſco ſucceſſit Venetus; illi, Gallus; Gallo, neſcio quis è Friſijs & Thuringis. Et tamen hi hoſtes noſtri inter nos vivunt. Vivunt? imò etiam in Senatum veniunt, notant & deſignant oculis ad lanienam vnumquemque noſtrûm. O Dij immortales, in qua vrbe vivimus? Hîc, hîc ſunt, in hoc ipſo conſeſſu noſtro, qui de meo veſtrumq; omnium exitio cogitarunt.

Et cùm dixiſſet, viſus mihi apertè ſignateque oculos conijcere ad ſubſellia noſtra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

—mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusſque
coït formidine ſanguis:

& trepidè ad Duzam, Tange me frater, inquam, frigidior niue Gallica ſum. Periimus, in Syclopis antrum deuenimus. quæ Pallas eripiet nos e media morte? Nihil ad eas voces Duza; ſed & ipſe ſedebat anxius, capite demiſſo. Credo, conſcius etiam ſe ex illo muſtaceo laureolam quæſiviſſe. Itaq; ego iam lictorem exſpectabam qui nos duceret. & ô ſaltem (aiebam mecum) gladius ille ad manum fuiſſet, quem ad limen Curiæ poſui!

Homer. *Ne ignavè & ingloriosus occumbam.*

Μὴ μὰν ἀσπουδεῖ γε καὶ ἀκλειῶς
ἀπολοίμην.

Sed inter eos æstus cogitationeſque pergit porro Cicero.

Et tamen, o patientiam! Hoſ-
ce

ce ego Conſul video, & quos iam diu ferro ulciſci oportuit, voce nondum vulnero. Sed deſino, ne longior oratio mea pro præiudicio fuiſſe videatur, aut ſententię veſtrę præiviſſe. Te Apollo Palatine, in cuius ſanctiſſimo templo nunc convenimus, præſidem præſtitemque Muſarum; cuius auxilium nobis litteriſque, in rebus incertis, certũ ſæpe fuit, quęſo venerorq;, uti pacẽ nobis ab iſtis propitius duis, & Senatui mẽtem quod maxime è republica erit ſentiendi, & libertatem idipſum cenſendi.

Finierat cum adclamatione varia Cicero, & ego paullatim ad me redÿ (non hercle plane poſito metu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quoniam ſciebam imperioſumConſulem eſſe, & in Tulliano tot Senatores necatos vnius iuſſu:) tamen caligo iam ab oculis abierat, & video ante pedes Conſulis neſcio quẽ ſedulò ſcribentem. Belga mihi viſus, e veſte. Itaque inclinans me, Quis eſt iſte? inquam ego ad Duzam. an quadruplator aliquis, & ſubſcriptionem nobis parat? Riſit timidiſsimam ſuſpicionem meam Duza, & ab iſto quidem, inquit, ſecurus animi es. Vervecem vides, non hominem: oviculam meram. Actuarius eſt, Chriſtophorus Longolius. quem, quia olim perite admodum verba ſingula Ciceronis ſubſequi & ſublegere ſolet, patres nunc fecerunt Cenſualẽ. Inter iſta iterum M. Cicero, Rem breviter audiſtis Patres, *inquit:* ergo vt

rela-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

relationem faciam, Quod felix fauſtumque reip. ſit, de cenſura deque ijs qui ſe correctores appellant * Q. F. P. Dic tu C. Criſpe. *Tetigi latus Duzæ, Quis iſte Criſpus, quis? Ille inquit, Romana primus hiſtoria. Cur eum rogat primum? inquam, & nonne inimicitiæ inter iſtos? Duza inclementius. In Curia es inquit, an in Gynæceo? ita loquax. Tamen ſcito hunc Conſulem deſignatum eſſe. Hoc habe, & tace. Momordit me tam præfractum reſponſum, co magis, quod de inimicitijs nihil: quas tamen ſuſpicabar ex falſis oratiunculis temere vulgatas eſſe. Surrexerat interea Criſpus, cui caput pileolo tectum, focale circa collum; & ipſe, novo more, palliolatus. Non fuit mihi animus rogare Duzam:*

* *Quid fieri placet.*

zam: ſed tamen facile divinabam ægrotum eſſe, fors fuit an plagis aliquot nuper acceptis. Ille infit.

Oratio Saluſtij contra Correctores.

Clementia & lenitas veſtra, P. C. magnum mihi metum faciunt de Correctoribus dicendi, ne aut vobis parum animi adverſum eos ſit; & illis præſidium novum in audacia ſua pariter, & pudore veſtro. Satellites quidem eorum defenſoreſque, homines clari nominis & doctrinæ, nequeo ſatis mirari. Conſilia nefaria in nos coïta ſunt; de vita cernimus, aut libertate: & ea proditum perditumque eunt iſti Corneliorum & Varronum ſcilicet præclara proles. Prô, di boni! Vbi Porciȩ & Sempro-

niæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

niȩ leges? Illis lictor, & virga, & ſecuris defenſa à tergo noſtro ſunt: at nos flagris notiſque ſervilibus obnoxij agimus adoleſcentum, aut vix virorum. Hanc in ſpem clariſſimorum ingeniorum monumēta publicata ſunt? Hæc præmia pro labore, & noctibus toties vigilatis? quorum eos adeò non pœnitet, vt facta in gloriã numerent: novi Romuli ſcilicet litterarum & Camilli. Quin ſoli omnium, poſt genitas leges, ſententiam ferunt è conjecturis. Divinos ſe dicunt. En, cui ludibrio canities noſtra ſervata eſt? Di benè vertant. cenſeo antiquemus collegium Augurum præ iſtis, &

Quin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Quindecimviros fatalium librorum. Peſſimi mortaliū. ita vobis mala noſtra irriſui ſunt? Et meritò. quoniam mollitia decretorum illis metum, nobis dignitatem ademimus: & pacem libertatemq́ue etiam nunc optamus magis, quàm defendimus. Quin agamus, atque obviam eamus P. C. nihil prolatantes: neu ſpolia noſtra diutiùs penes ignavos indignoſq́ue ſint. Ego ita cenſeo. per Prætorem vrbanum in Comitio comburendos eorum libros: ipſos in vinclis habendos: neu quisde ſolvendis adSenatum populumve referat. Qui aliter faxit, eum contra remp. facturum.

Ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Adſedit Criſpus. neque enim aut mos, aut valetudo eius, ad longam orationem erant! Et Conſul M. Tullius neſcio quid cum Catone ſecretò collocutus, Patres Conſcripti, *inquit*, multa hodie frequentia eſt. itaq; non ibo per ſingulos: per Saturam exquirendę ſententiæ ſunt. Dic, ſiquis voles è poëtis. *Non erat alia manus infeſtior generi Correctorum. Itaque capita paulliſper inter ſe contulerunt, & dilectus eſt qui omnium nomine diceret P. Ovidius. Non tam Germani id pervicerant, quàm quia conſtabat olim non ignobilem declamatorem fuiſſe, & Arellio Fuſco operam dediſſe. Propriæ quoque illi irarum cauſſæ. Surrexit igitur infenſus & minax vultu, oculis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Ovidii oratio adverſus Correctores.

Patres conſcripti, *inquit*, vetus exſilium meum Tomos me referte, vbi iſta non videam, non audiam. Quæ enim Barbaria non ante mores iſtos? aut quæ vita nobis in hac colluvie Correctorum? Perijt nativa illa & germana poëſis, poſtquam hoc peſtilens ſidus ingenia adflavit. Videte. quis adoleſcentium hodie Phœbi laurum, vt noſtro more loquar, mordere audet? aut ſiquis audet; quis lucidos & fluentes verſus ſcribere? Quis carmen mihi dat ingenui & ſani coloris? Pigmenta nimirum quærunt, & adſciticios fucos, & ab Ennio vſque Pacuvioque demortua ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

verba. Ex qua farragine ſiquid poſſunt adſuere: ne illi gemmam id cenſent, & quaſi in prætexta, purpurę clavum. Itaque redeunt iterum Saturniæ lemæ, & fiunt,

Verſus, quos olim Fauni vateſq́; canebant.

Stomachor. quis me, meoſque numeros? quis Statium, Lucanum, Silium audet exprimere, vt non ſtatim audeat, *Odi profanum vulgus, & arceo?* Eò enim ventum eſt. numerus cenſemur, & plebs poëtarum. Ite boni Patres, & retinere, cenſeo, iſtos Lucumones. Quamquam vtinam ſtultitia peccarent tantùm: ſævitia eſt. Nec enim contemnunt ſolùm nos: etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

etiam lędunt. Quæ ſtigmata impoſita nobis ab illis? quæ lentæ vibices? Referte ſi vultis exemplum M. Antonij oratoris in Aquilio, & nudate corpora noſtra. Mentiar, ſi non plures cicatrices nobis, quàm verſus. Collegam hunc noſtrum T. Lucretium videtis? virum perfectæ bonitatis, & qui ex diſciplinæ ſuę lege * οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Quid iuvat? audite rem novam P.C. Vna provincia, vno tempore, duos Prætores habuit: & de Lucretij ſpolijs bini eodem anno triumphi. Cogitate quid miſer ille paſſus ſit, & proponite vobis duos in Sicilia Verres.

** Neque ipſe negotium habet, neque alteri, exhibet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Verres. Quid noſter
— Romanæ fidicen lyræ?
ille quidē ſemiuſtulatus lentiſſimo igne. Faces illi Lampadius quidam admovit: reſtinxit alius ingeſta hydriæ ſuæ aqua. Quid Catullum loquar, & Propertium, & Tibullum? Prometheus non vltrà fabula eſt. Ecce nos, quorum viſcera nova fame cottidie rimātur & ſcindunt infauſtæ aves. Vellem Martialis adeſſe poſſet miſerrimus poëtarum. quem aiunt nimis Romanè ſcripſiſſe. Itaque inventus eſt neſcio quis popa, qui non vitia eius, ſed ipſum excîdit. & virum bonum, de quo non virgo non femina queſta eſſet,

Martialis caſtratus, qui inſcribitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eſſet, fecit inteſtabilem. Nec alia re abeſt novus Thuſcus iſte aruſpex, quàm quia ſciebat mutilos & debiles curia arceri, ex lege priſca. O fas, ô fides! Hæc fieri bonis, bono ſemine natis? Vos medici ferte opē, Æſculapia proles. Exſurge tu, cui brachium truncatum: tu, cui crus fractum: tu, cui excuſſi oculi. Miſeremini ô Patres, & iſtos nefarios condignis pænis & vltione mactare. Ego ſic cenſeo. Quandoquidē Correctores calamo, ſtylo, ferro rem gerunt, nec finem vllum faciunt graſſandi; ſitque è rep. iudicia & leges exerceri: eos omnes lege Cornelia, quę de ſicarijs eſt, accuſādos.

dam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

damnandos. Siquis ſeveriorem ſententiã attulerit, ſententia mea nulla eſto: illius rata eſto. Hæc cenſeo.

Dixerat ardens incitatuſque Ovidius, nimium vel ingenio vel adfectui ſuo, vt ſolet, indulgens.

——cunctique fremebant
Aſſenſu vario Patres.

Itaque clamor iam, & confuſæ voces. Tribonianus inter Iuriſconſultos audiebatur, Ecce me infelicem! & ô vanos labores meos! Non corrigunt me ſolùm, ſed corripiunt: quaſi mala imò * nulla fide in exſcribendis legibus verſatum. Quod ſanctũ, quod immotum eſt, tangunt. violatores majeſtatis, & vltore gladio puniendi. *Clamabat è Philoſophorum ſubſellijs Plinius,*

* ἄθεον enim fuiſſe aiunt.

De-

Demite mihi has notas, has lituras, quas Barbarus iuſſit. Ne vltrà imperitus, ne fur, ne plagiarius audiam, vir illuſtris & Principum amicitia notus. Ante omnes, pœnas mihi det ille qui in me vnicè conſpiravit Pœnus. *Plures erant ejuſmodi voces, &, me iudice, Correctorum res in extrema tegula ſtabāt: cùm ecce Aſconius Pædianus, & Verrius Flaccus, & A Gellius, pluresque quorū ferrum in igne erat, huc illuc concurſabant, prenſantes Patres, oranteſque vt cauſſam cognoſcerent; neu totam gentem damnatā vellent, ob noxam paucorum. Sed inter illos inſigne ſtudium vnius, novitij, vt apparebat, & nuperi Senatoris. Non ſuſtinui rogare ſuper eo DuZam:*

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

converti me ad proximum aſſeſſorem, Et o tu quicumque es, inquam, potes dicere nomen illius Senatoris qui præter ceteros ſatagit? Ille in aurem mihi infudit, Dionyſium Lambinum eſſe. Non fefelli fabulans Duzam. & ille ad me, Tu Lipſi iuvenis & incautus es, inquit,

—* ἀεί τε νεώτεροι ἀφραδέουσιν.

Frater, inquam, mihi hoc dicto opus fuit. Nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe. Intereà M. Tullius circum ibat ad placandos animos ſedandumque tumultum; & cum eo, ſevero vultu, Prætor Cato. Patres conſcripti, *inquiunt*, ſervemus diſciplinam Curiæ. Quæ hæc res? Vos mera ovilia feciſtis. ita balatis. Sedete, quieſcite, & ſententias perrogemus. Dic tu

* Hom. *Semper adoleſcentes ſtultè agunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

M. Varro. *Ad Varronis nomen, ſubitum ſilentium fuit. Erat admiratio viri, magni, docti; & quod inter omnes conſtabat, partium nullarum. Surgit Varro, &, inſit.*

M. Varronis oratio pro Correctoribus.

Studijs adhuc P. C. certamus, non ſententijs. Vulnera quæ quiſque à Correctoribus acceperit, commemorat: medicinam, quam acceperit, tacet. Adeo lubentius homines iniurias, quam beneficia meminimus: & ultioni, quam gratiæ parati ſumus. Mihi P. C. alia mens eſt, ſine ſtudio, ſine odio rem exſequi: & ſententiam non ex ambitione mea, ſed uſu publico dicere. Tibi primum fortiſſime Conſul reſpondebo. non quia obſtringillare

re homini amico iuvat, ſed quia res aperienda eſt. Nec enim rettuliſti ſolum quid cenſeremus, ſed prçiviſti. Novum tibi viſum eſt iſtud corrigere, & à rege Franciſco. Miramur te hoc dicere, hominem hiſtoriæ gnarum, & çvi prioris. Multa ſanè ab illo rege præclara, & in bonum litterarum: non tamen iſtud. Iam inde noſtra ætate, non certatio inter doctos fuit ſuper Ennij Plautique locis? Ælius Stilo doctor meus non perſæpe à Perſio alijſq; in ſcriptura diſſenſit? non ego ipſe? non tu M. Tulli ab hoc Attico? quem meminens ſum alibi cum cura quærere, in Pirçeum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

an Piræeum ſcripſiſſet Cę-cilius. Tu ſerram in re levi cum amico reciprocas: ambigere in hiſtoria, reque graviori, vetitum iſtis? Quid loquor? tuipſe ille acer perduellis Correctorum, Lucretium Carum correxiſti: & in beneficio id gloriaque poſuiſti. Omitto Nigidium Figulum, Verrium Flaccum, Palæmonē, innumeros ejuſdem Muſæ: ecce produco hunc Valerium Probum ex „Senatu noſtro, *qui exemplaria* „*vetera contrahere, emendare ac* „*diſtinguere, & adnotare curavit;* „*ſoli huic, nec ulli præterea, Grammatices parti deditus.* Addo Aſconium & Agellium; alterū Claudij, alterū Hadriani ęvo. At

Verba Suetonij de Claris Grāmaticis.

At illũ non piguit, Deſcenderim an Deſcendere legendum eſſet, in Verrinis tuis anquirere: iſtum, Tris vrbes, an Tres Virgilius ſcripſiſſet: Stitiſſes an Stetiſſes Cato. Et laudi hæc inquiſitio ijs, non fraudi fuit: nos cur iniqui judices in huius ęvi litteratores ſumus? Nõparia fortean prę-ſtant? Pace collegarũ liceat, maiora. Typographia hac ætate inventa eſt, dono deorum quidem: non dubio tamen exitio noſtro, ni iſti obſtitiſſent, qui adminiſtrant in libris corrigendis. Ij veterum librorum ope, partim ingenij fiducia, di magni, quot vulnera noſtra, quot cicatrices ſanarunt! Tu M.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Tulli, tu C. Criſpe, horum opem non ſenſiſti? non tu Ovidi? impius es, ſi negas; ſtultus, ſi fateris. Et tamen nudari te poſtulas, magne Imperator. Credo, ut dentem videamus ſuctumque tuæ Corinnæ. Ego ipſe non Ioſepho Scaligero civicam de me coronam dedi? dedi, libens meritoque, Magna enim hæc res. P. C. mihi credite, magna, & non unius e plebe doctorum. Si quis agrum noſtrum ſtantem ſentibus deruncinet, beneficium conferre cenſebitur: non conferentij, qui à vitijs monumenta noſtra purgant, quibus ſolis vivimus? Et tamen modus quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dã & ars eius rei eſt, fateor. ne fiat quod in veteri fabula eſt, Thracius ruſticus : qui cum vicinum putantem vites oleaſque vidiſſet, ipſe à ſtirpe omnes incidit. At enim peccant ſæpius Correctores ; & vulnus faciunt, dum medentur. Hic tu te Ovidi, iactas. Laudo, * nec unquam gratiam tibi referet Criſpus. Sicarios appellas, & lege Cornelia damnandos. Cur tandem ? Patrem aliquis in acie ſervare voluit, & dum hoſtem petit, gladio aberrante occidit: dic tu Ser. Sulpici, parricida eſt? Negabis. voluntas enim eſt peccandi, quam leges puniunt, non eventus. Simile

* Alluſum ad iocum veterẽ: Niſi hic ſciactaſſet, muſcæ te cõ ediſſent.

in iſtis ſit, qui cũ voluntatẽ attulerint iuvãdi, interdum tamen aberrant, & lædunt. Bivium enim ad corrigendum, Libri, & Coniectura. Prima via ſatis certa & tuta eſt: lubrica altera, præſertim cum in eam audaces & temerarij adoleſcentes inciderint, aut adoleſcentium ſimiles ſenes. quos non eo deſenſum. Veros quidem germanoſque Criticos magno opere ſuadeo uti retineatis. Magnarum arborum umbræ nos & altitudo delectant, radices ſtirpeſque non item: ſimile in Correctoribus eſt, quorum opera, hæc in corrupta pulchritudo artium manet quas miramur;
ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

manebitque æternum, liceat modo per ignavos & inficientes iſtos, qui alienam operam invident, parci ipſi ſua. Ego P. C. ſic cenſeo.

Recitavitque ſententiam è tabella, quam Senatus eſt ſecutus, & quam habes in SCto. Cùm dixiſſet Varro, incredibile eſt quantum animi mutarint. Illi ipſi inter patres, qui infenſi anteà infeſtique Correctoribus, ſucclamarunt illud tritum in adſenſu, omnes, omnes. *Correctores diſcurrebant læti hilares, & tanquā abſoluti. Mea mēs quæ? nolite quærere. ereptus mihi videbar.*

—medijs è faucibus Orci.

Nec tenui me quin ad Duzam reſpiciens clamarem,

Vicimus ô ſocij, & magnam puguavimus pugnam. Lucilij verſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Pauci tamen è pedarijs, impedire aut differre rem conati, identidem clamabant, numera ſenatum. *Sed Varro recenti inclinatione animorum vtendum ratus, Conſulem admonuit vti diſceſſionem permitteret, fieretque SC. Permiſit (Criſpo tamen prius in adverſa ſubſellia tranſire iuſſo) in hæc verba.* Qui hæc ſentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite qua ſentitis. *Pedibus plerique iere in ſententiam Varronis. Criſpus cum paucis remanſit ſolus. & videbatur interceſſorem quærere. Ibi Ovidius ludo nobis & ioco fuit, qui deſerto Criſpo ad Varronis ſubſellia tranſiit, non ſine perfugij nota, & poëticæ levitatis. Dediſſe id dicebatur recenti merito Victoris Giſelini. De illius hiſtoricus venien-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tem eum apud ſe collocavit, & eodem elogio ornavit. Diſceſſione facta, Conſul dicis moriſque cauſſa addidit, Hæc pars maior eſſe videtur. *Parabat etiam referre ſerio (nam Varro ſententia ſua breviter perſtrinxerat) de litigio inter Correctores deque pace ineunda: ſed iam hora Decima erat, nec poſt eam fas incipere novam relationem. Itaque mittens Senatum, ſolemni verbo dixit* Nihil moramur vos, P.C. *Illis conventus, mihi ſomnus ſolutus eſt.*

FORMA SC. TI.

M. TVLLIO M.F. CICERONE. M. ATTIO PLAVTO COS. PRID. KAL. OCTOB. IN ÆDE APOLLINIS PALATINI, SCRIBVN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

BVNDO ADFVERVNT, M. TERENTIVS VARRO, P. NIGIDIVS FIGVLVS. VERRIVS FLACCVS. C. CORNELIVS TACITVS.

*Verba fecit.
*De ea re Senatus.

Quod M. Tullius cos. *. V. F. de Correctoribus, * D. E. R. S. ita cenſuit.

Correctores, hoc difficillimo rei litterariç tempore, vtibiles neceſſarioſque eſſe.

Non eos tamen promiſcuos: non indoctos: rupices, petrones. ſed qui conſilio, reque apſe iuuare ſcriptores priſcos poſſint.

Ea re Senatui placere, vti lex Annaria ſervetur: neu quis minor XXV. annis Correcturam petere, gerere poſſit.

qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quique aliter petierit, geſſerit, vitio creatum videri, & correctiones eius in Acta nõ mitti.

In ſenibus depontanis, quique maiores annis LX. ſirempſe legem eſſe.

Vtique Cenſores M. Fabius, Pomponius Atticus, alter ambove, de doctrina deque moribus petitorum cognoſcant, ſtatuant, iudicent. Quos hiſce admiſerint, probos eſſe: quos reiecerint, repulſos & reiculos.

Siquis e libris bonis fidiſque correxerit, laudi ſemper eſſe. ſiquis è coniecturis, noxæ.

Niſi eæ claræ, liquidę, certæ ſint.

Qui aliter cumque divinatio-

tio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tionibus uſus;in eo leges veteres & edicta de Mathematicis valere : Porcias , Fabias, Semproniasleges non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores pleros teneat, Litigium & Prurigo: utrique rei Senatum proſpectum prȩcautumque velle.

De litigatoribus. vti quicumque poſt hunc diem cum altero velitari,præliari, verbis, ſcriptiſve auſus fuerit: eoſve in ludi gladium damnari; uti proximo munere, colligati inter ſe, pugnent ſine miſſione.

De Pruriginoſis, quos manum ſtylumque abſtinere à nullo loco audiant, ſano ſive inſano: uti Cornelius Celſus Ædilis diſpiciat, qui ex ijs ſa-

nari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nari poſſint, quique non poſſint.

Qui poſſe videbuntur; eos deponi in templo Æſculapij quod in inſula eſt, ibique ellebori bibere quãtum ſatis erit. Qui non poſſint; eos in exſilium ad Cimmerios deportari, ubi lucem non videant & libros non legant. Siquis ambiguæ valetudinis erit: eum ad tempus relegari in Atlantidem inſulam, ubi memorãtur ſomnia non videri.

Quoniamq; multi ex hoc ordine pulſatos acceptoſque indigne ſe a Correctoribus querantur? placere univerſis cõſcriptis eam iniuriam contumeliamve impunem non eſſe, in vivis mortuiſque.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

In vivis placere, vti L. Caſſius Prætor de cauſſa eorum cognoſcat. quoſque noxæ eius compererit; eos melle & ſeſamo oblitos, diem unum deſtitui ad caldum ſolem ſtilis veſparum & muſcarum.

In mortuis, vti Menippus Philoſophus, qui viam novit, ad inferos proficiſcatur: & cum Æaco de pœnis eorum agat.

Hæc ita cenſuerunt. Siquis huic SC. interceſſiſſet, placere auctoritatem perſcribi, deque ea re ad Senatum populumque referri.

GVLIEL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

GVLIELMI BVDÆI PARILIS LEX e libris de Aſſe.

Qui diſcendi cupidi ſunt, iuratiſſimi cuiuſque ſcriptoris maieſtatem comiter conſervanto.

Quod ſecus (ut ſunt humana) dictum in eorum cuiuſque libros irrepſerit, obrepſerit, fefellerit:

Qui de eo dicto indagandæ veritatis ergo addubitet, addubitaverit, quæſtionem referat, rettulerit:

Quod eorum ab unoquoque abſque dolo malo, livore animi, factum ſit:

Eius rei multa ne ſit.

Nec bonorum offenſio, quod eſt inſtar ultimi ſupplicij.

Io-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

IOSEPHO SCALIGERO IVLI CÆS. F. S.D.

QVÆ luſi hoc biduo, mi Scaliger, ſuper ambitione & imperitia quorumdam, qui Criticos ſe dicunt (veros enim germanoſque tangere mihi mens non eſt, non fuit) ea ad te mitto. Et puto favebis muneri non Editoris ſolum cauſſa, quem ſcio amas: ſed rei ipſius. quæ etſi ludicræ

& pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

& propemodum ſcenicę levitatis, habebit tamen fortean quod te delectet imagine aliqua priſci & non vulgati ritus. Te delectet, iuventutem doceat: cui etiam remiſſiones noſtras volumus ſervire. Satyram inſcripſi & verbum minax fecerit imperitis fortaſſe terrorem. Fruſtra, quia ſine dente, ſine felle eſt: levi tantùm ſale inſperſa. Eoque adeò non bono: vt verear ne priuſquam in manus tuas venerit, putiſcat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tiſcat. Vnum aut alterum tetigi pęnè nominatim. ſed quid? in re adeò levi, vt optem cupiamque (quæ præiurationum verba ſunt) IDEM IN ME. Tu tantum huic ludicro ſpectator applaude, mi Scaliger: flos vnice noſtri ævi, & qui elogium illud gentis tuæ verum oſtendiſti, GENVS DEORVM. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Ad Lectorem.

Quiſquis eris bone vir Satyram lecture iocoſam,
Pone ſupercilium.
Seria ſcripta legas caperante fronte licebit:
Hîc ioca, nugæ habitant.
Vana tibi hoc ſchidium refe-ret ludibria ſomnI:
Credere ne approperes.
Credenti nil ſcribo. meos quaſi ſomnia libros
Qui leget, is ſapiet.
Sed magis is ſapiet qui non leget, & ſciet iſta
Affanias, apinas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

AD EVNDEM

Quædam in hoc ſcripto obſcuriora fore iuventuti ſcio, Lector: idque conſulto conſilio à nobis factum. Satyra enim aliter non ſit. Simul excitanda & attollenda ingenia ſunt: ut aliquando pedes ponere diſcant ſine manuductore. Orationes, quæ inſitæ, proxime ad ſtylum cuiuſque, ut potui, effinxi. Tibi ſi placebit hoc genus; nihil tergiverſor, quin brevi Funus & Triumphum (quæ adfecta apud me viderunt amici) exſpectes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

SARDI VENALES
SATYRA
MENIPPEA

In huius ſæculi homi-
nes pleroſque in-
epté èrudi-
tos.

PETRVS CUNÆVS
Scripſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

PRÆFATIO
Ad
AMPLISSIMOS VIROS
RVMOLDVM HOGER-BETIVM.
&
APOLLONIVM SCOTTVM,
Supremæ Curiæ in Batavis
SENATORES.

OMNES homines, qui in rerum contemplatione magnum quiddam & ſingulare ſectantur, ſummâ ope niti decet, vt in vitam mortalium, inque mores eorum & inepta ſtudia diligenter inſpiciant. Qui enim ſcrutantur cæli plagas, ſyderumque magnitudines, & quicquid ſupra nos natura poſuit: præclaræ quidem rei lau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dem illi quærunt, cæterùm nullam ſolidam, nec eminentem effigiem ſapientiæ conſectantur. Etenim profectò, cùm homines, hoc eſt, magnæ huius reipublicæ atque mundi cives ſimus: quicumque extra orbem & mortalitatis terminos vagatur, eum verò agere aliena ego, & nubes atque inania captare exiſtimo. Beata quædam & magna res eſt, quæ ante oculos poſita ſunt, videre, perque vrbes hominum & domos ambulantem, vitia ſingulorum & errores contemplari. Hoc qui facit, ſolus rectè ſapere, & de humanâ gente benè mereri videtur. Enim verò ſic ſunt res mortalium. verſat pleroſque & præcipitat ineptiendi libido quædam, diverſa illa quidem hercle

& diſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

& diſsimilis, ſed pariter tamen ridicula. Quemadmodum in ſylvis, cùm ignorantia viæ hunc dextrorſum, illum ſiniſtrorſum de recta ſemitâ abducit, idem error vtriſque, ſed diversâ illudit parte: planè hoc pacto, mutatis interdum nominibus, vnus ineptientium morbus eſt. Hæc formula, incredibile memoratu eſt, quàm latè pateat. Non enim intra plebem modò & pullatam multitudinem ſtat, ſed ſæpe graves quoque & ſpectatos homines tenet. Sunt in vnaquaque gente quidam, qui pallio & habitu profitentur ſapientiam: viri (id quod nemo neget) vtrisque auribus & oculis ſani, ſolam ſi mentem excipias, quam haud viliſsimam noſtri partem eſſe, neſcio

qua perſuaſione, ſemper ego credidi. Quare iſti quoque, licet ſevero vultu, & tardis incedant paſſibus, caudam tamen trahunt, & de fæcundâ Meneni gente ſunt; cuius viri poſteros latè vbiqui per orbem poſuiſſe ſedes ſuas, olim pater Chryſippus, non vanus autor, dixit. Horum omnium iudex & arbiter ſedet, quiſquis devitatis ſcopulis, circa quos mortalium vita hæret, ſemel ſeſe in melioris ſcientiæ ſinum penetravit. Illinc enim ſuave eſt ludibria rerum & illas ipſ.us cernere tenebras, in quibus hoc ævi, quodcunque eſt, degitur. Nimirum animus noſter, vbi per tot recti iudicij impedimenta eluctatus eſt, multùm ſupra plebem eminet, nihilque

amplius

amplus eâ cauſa probare iam poteſt, quia vulgò & à plerisque fit. Contrarium enim multitudini iter inſiſtit, & quæ omnium laudari audit ſuffragiis, una ſententia damnat. Cæterùm ab omni ævo nemo quiſquam tam efferatus fuit, vti voluptatis cauſa, animo ſecuro atque vacuo, publica mala intueretur. Hoc enim verè eſſet inimicitias mortalitati, atque ipſi naturæ indicere odium. Igitur, quod longè optimum fuit, quàm quiſque longiſsimè ab aliorum erroribus refugerat, tam maximè eiſdem facere medicinam conatus eſt. Atque aliis quidem alia (vt cuiusque indoles & ardor erat) inſectari placuit.

Varia enim hîc & multiplex

ſe rerum copia offert: nullaque vitæ forma, nulla officii ratio eſt, ex quâ non plurima, quæ reprehenſione digna ſint, arripias. Mihi autem eorum maximè ſtultitiam exagitare libuit, qui hoc ſeculo, cùm in doctrinæ & in his diſciplinarum ſtudiis verſentur, nihil hercle aliud niſi magno conatu magnas nugas agunt. Mirum enim in modum ab iſthoc genere mea ſemper ratio voluntasque abhorruit: & vti cuncti mortales eorum intelligerẽt vernilitatem, permagni exiſtimabam intereſſe. Equidem ego, cùm, ineunte adoleſcentiâ, circumſpectis rebus meis omnibus, diligenter etiam atque etiam cogitarem, quem me, qualemq́ue eſſe, & quod ſequi vitæ iter oporteret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

*teret, maximè in hâc delibera-
tione ad naturam mihi meam
conſilium eſſe omne revocandum
intelligebam. Erat ante oculos
omnis antiquitas, tot magna no-
mina, totque illuſtres animæ, qui-
bus ad res in omni doctrinæ ge-
nere maximas perficiendas di-
vinitus adiuncta quædam fuiſſe
fortuna videbatur. Eorum in-
ſtituta cum obſoleſcere pleraque,
& ipſa vetuſtate iam frigere
cernerem, ſubiit animum meum
indignatio multa & acerba, pe-
ne vt iam vitæ me atque huius
lucis tæderet. Quare, qui &
naturæ meæ impetu ad hæc ſacra
literarum ferebar, & afflari ta-
men nolebam contagione tempo-
rum, quæ pleroſque invaſerat:
quod ſolum poteram, feci; colle-*

 gi,

gi, inquam, memet ipſum, vt mihi & mecum viverem, cæteroſque res ſuas ſibi habere, & eſſe miſeros iuberem. Supererant etiam nunc excellentes & divini viri, qui veterum aut æquarent laudem, aut etiam vincerent; verùm & magnis eos ætatum intervallis ſciebam naſci, neque ex virtutis eorum contemplatione tantum ſolatij, quantum doloris ex aliorum inſcitiâ & ſtoliditate capiebam. Prodibant quotidie ingentia & portentoſa volumina, quorum frigus tuſsim mihi & gravedinem ferebat. Ipſa rerum humanarum diuinarumque regina ſapientia, pedem vbi poneret, non habebat, poſtquam regnum eius inuaſiſſent homines infelicißimi, quibus dij cunctì

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eſſe infenſi videbantur. Dixiſſes eos aliquod bidental moviſſe, aut patrios temeraſſe cineres. In tantâ delirantium inſaniâ, ſicut temeritatis erat, multa moliri, ita rurſus ignavi hominis videbatur, prorſus nihil agere. Videbam perpaucos eâ animi æquitate futuros, uti iudicium noſtrum, reprehenſionemq. ferrent volentes: & tamen cupiebam exſtare aliquod ingenij noſtri monumentum, ex quo intelligerent aliquando poſteri, vixiſſe me ab iſtorum hominum ſtudiis diſſentientem. Igitur, vti & animo meo morem gererem, & cæterorum declinarem ſævitiam atq. tempeſtates, adieci animum meum ad id ſcribendi genus, quod multâ dulcedine temperatum,

nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nihil ſpiraret niſi iocos atque ſales. Ita enim perſonis peperci, vti vitia non præterirem: & cùm res perſequerer graves atque ſerias, blando tamen riſu prætexui fraudem. Næ illi, qui hæc innocua ferre non poterunt, nimium ſunt faſtidioſi. Quid enim facerent, obſecro, ſi eâ vſi verborum libertate fuiſſemus, ad quam compellere nos maximorum hominum vel authoritas poterat, vel exemplum? Verùm ego nec veniam nunc peto, neque invidiam deprecor. Etenim, ſi fato nobis is ſit reſervatus gloriæ fructus, vti retinuiſſe quoſdam ab ineptiis videamur, ſanè rem magnam fecerimus. Quod ſi obſtinatis animis contra ibunt, & me meaque damnabunt homi-

nes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nes putido cerebro: nihil morabimur. Pro more enim ſuo, atque pro ingenio facient, qui pridem iam bonæ ſpei decoxêre. neque vnquam verò id ſiverit genius meus, vti pulpita & tribus eorum ambire, aut ſuppliciter prenſare quenquam digner. Bonis quidem hercle, eruditisque, abunde, opinor, animum explerim: &, vt iam maximè ceteri reclament omnes, tamen ſi tibi, ſumme Hogerbeti, tibique, Scotte ampliſsime, non omninò diſplicebimus, magnum me iam non huius modò operæ, ſed vitæ totius tuliſſe fructum arbitrabor. Vos mihi duo pro vniverſo populo eritis; veſtris in oculis ego me, & iuventutem hanc meam, quaſi in aliquo orbis terræ theatro,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tro, verſari credam. Equidem ex quo tempore cogitationum uos mearum, conſiliorumque omnium autores feci, inſolito quodam impetu excitavit ſe animus meus, & ardorē ipſe ſuum miratus eſt. iam enim omnia concupiſcere præclara, ingentia, exacta cœpit, quæ antea non dicam aſſequi, ſed omninò, cuiusmodi eſſent, perſpicere nequiverat. Videbam ego vos, cùm in excelſo ætatem ageretis, civibusque veſtris, Batavis & Zelandis, latè diceretis iura, inter tot ſummæ dignitatis inſignia nullum habere ornamentum iſto faſtigio dignius, quàm eximiam atque inuſitatam eruditionem. Itaque libenter vos eâ parte intuebar, quæ publica non eſt, nimiumque eſſe iniquos

rerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

verum æſtimatores putabam, qui fortunam potius veſtram, quàm vos colerent. quod tamen ii profectò faciunt, qui quotidie atria veſtra obſident, & aut ſua vobis, aut amicorum commendant diſcrimina. Nemo oves meas, nemo armenta abegit, neque in agris noſtris pauperiem fecit vicini quadrupes. & tamen vos eſſe iudices mihi arbitrosque cupio ſed nimirum illius cauſæ, quæ, procul à foro veſtro, in eruditorum agitur republicâ, cuius & vos principes eſtis, & ego me civem profiteor.

Nuper ſtatus controverſiam movi ineptis febriculoſisque hominibus, qui mihi decus, maieſtatemque doctrinæ, ſuis ſordibus conſpurcare videbantur.

Eam

Eam litem vti ſecundum me dare velitis, etiam vos atque etiam, Ampliſsimi Senatores, rogo-quæſoq́. Omnes eruditorum familias, & genera diuerſiſsima attigi; ac de ipſis quoque theologis, penes quos eſſe nunc regnum & ſumma ſcientiarum creditur, non pauca dixi, ſed eâ lenitate & modeſtiâ, quam & tu, diuine Hogerbeti, à me exegiſſes, ſi conſilium tibi expoſuiſſem meum, & tu, Scotte maxime, iam certè non improbabis, qui antea illum ordinem præteriri à me potuiſſe exiſtimaſti. Paucos quoſdam, eoſque degeneres & prauos leviter notaſſe me fateor, nec muto factum. de cæteris, ſanctiſsimis, integerrimisque viris, quorum eſt innumerabilis multitudo, om-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nia magna ſentio, iiſque uti decus ſuum atque honos conſtet, è republicâ eſſe humani generis & credidi ego ſemper, & in poſterum non obſcuris monumentis teſtabor.

PRÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

PRÆSCRIPTIO
Ad
LECTOREM.

QVONIAM rem haud nouam quidem, ſed calumnijs tamen obnoxiam inceptamus, periculum eſt, lector, nequis tibi error offundatur. Scio eſſe homines quoſdam malè feriatos, qui ſimul atq. ſcripta huiuſmodi, in quibus vitiorum eſt vituperatio, attigerint, ſtatim ingenium advocant, & quidcuiq; aptari poſſit, aut in quem dictum quidq. ſit, curioſè ſpeculantur. Quod in mente nobis neque fuit, nec erit vnquam, tamen ii ſcient; &, cùm aliquem iam ſibi, quem ipſi læſum eſſe cupiant, opinionis errore confinxerint, applaudent induſtriæ ſuæ, & fauebunt vapulanti. Hic eſt ſuccus loliginis, hæc mera ærugo, quæ vbi animos ſemel infecit, ilicet, actum eſt, periimus. Procul hoc vitium non à chartis modò iſtis, ſed à pectore quoque noſtro abeſſe palam omnibus teſtatum facimus. Si quis aliter cenſuerit, iniuriam faciet ſimplicitati meæ. Etenim, qui paucis notus, pau-

cioribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

cioribus verò familiaris eſſe ſtuderem, ita ſemper vixi, vti & illos ingenuitatis meæ, & hos haberem fidi amoris teſtes. Quare nec in illos dicere aliquid aſperè debui, & in hos non poteram. Qui incogniti mihi, quique viſi nunquam ſunt, nimis imprudenter facient, ſi ſe ipſi prodant. Sed hæc levia puto. Cætera, quæ pro theologis dici intelligo, invidiæ augendæ ſunt. Poſtquam enim in vniverſum de iis omnibus, qui inter eruditos ineptiunt, aliquid dicere conſtituiſſem, iam aut imprudens videri poteram, ſi homines ſapientiæ ſacris initiatos non numeraſsem in eruditis; aut ſtupidus, ſi quoſdam eſſe neſciviſſen, qui divini illius ordinis vibices atque maculæ ſint. Neque verò cauſam reperiebam, cur leporibus, innoxiis profectò, & (quod caput rei eſt) Romanis, ludere in eos haud liceret, qui quotidie, cùm inter ſe ſibi non parcant, quæcunque plebeio ſermone ſcripsêre, pueris omnibus ancillisque à furno & lacu redeuntidus cupiunt eſſe notiſsima Infelici medius fidius ſeculo vivimus, ſi leves hos iocos verſari in eruditorum manibus dolent, ſua autem ipſi acerrima dicta à proletariâ multitudine legi de plano, non indignantur.

Quæ

Quæ in controuerſiis poſita ſunt, de induſtriâ præteriui. Etſi enim, quid de iis ſentiam, apertè dicere veritus nunquam fui, tamen non erat ei rei in ſatyrâ locus. Ad mores tantùm hæc, & ad vitam quorundam pertinent, neque obſcura ſunt, ſed in oculos incurrunt. Itaque vbi inuidia deceſſerit, ipſi hæc & vera cernent, & culpanda eſſe, haud negabunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

SATYRA MENIPPEA

In huius ſeculi homines pleroſque ineptè eruditos.

BONA fide agam. nihil eorum, quæ ſcripturus ſum, verum eſſe ſcitote. Ridere, ac nugari, & quæ nunquam facta ſunt, narrare libet. Nemo prædictum ſibi neget. Equidem ſic à maximis viris accepi, totum hoc admodum leve & veniâ dignum eſſe, mentiri: turpiſsimum verò & improbum, fallere mendacio. Et tamen hoc ipſum profectò quotusquiſque non facit, etiam ex iis-

à quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

à quibus verum, ceu à iurato teſte, exigás? Eſt genus hominum, qui rerum memoriam annalibus conſecrant: qui ſeria omnia profitentur, & ſeuera. inſpicite libros eorum. nulla pagella eſt, quæ mendaciolo aſperſa non ſit. Quàm libenter vrbium origines ex alto repetunt? quanto apparatu montes perfodiunt, aut contegunt maria, aut fluuios epotant vno prandio? Vbiq. pannus aliquis ex purpurâ, qui latè ſplendeat, Sæpe, ubi in arctum deſiluerunt, unde pedem referre nequeunt, accerſitur è machinâ deus, nam oracula quidem, & cœleſtes voces toties audio, ut iam penè hominum linguam neſciam. Habet hoc vitii illa

natio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

natio cum ſit periculum in nullo mendacio maius, tamen ni inſolens aliquid, & in auditum memorent, lectorem dormiturum putant. miraculo excitandus eſt. Ita omnes è compacto rem gerunt, quaſi olim in Velabro olearij: peſsimo medius fidius exemplo. Nobis ſine noxâ cuiuſquam quid libet excogitare datum eſt. non enim miſerorum credulitati illudimus, & præterea, ſi Iouem è tenui filo terram & cœlum ſuſpendiſſe fingamus, metus non eſt, ne, illo rupto, fractus labatur orbis. ſtat enim, ſtabitque hæc rerum vniuerſitas, etiamſi nobis malè commentum proceſſerit. Sed iam non diutiùs moror exſpectationē veſtram.

ſcio

Scio quam ſit odioſa Circenſibus pompa. Et alioqui non deſunt putidiuſculi, quibus magnam libri partem fanatica molitio abſumit. mox, ubi ſemel tandem ad rem venere, fumum ex fulgore dant.

NVDIVSTERTIVS domum reverſus ſum è peregrinâ regione, quam nec oculis ſuis nec auribus uſurpavit quiſquam. In hac multa vidi memoratu digna, nec unquam vulgata prius, quæ ediſſeram ordine vniverſa, ne tantæ rei memoria pereat. Heracliti divinum ingenium antiquitas celebravit, eiusque ſcita mirati potius homines ſunt, quam intellexere. Ex omnibus tamen illud apertum eſt, ſi quid video, & mirè

planum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

planum. Vigilantibus vnum communē mundum eſſe cenſuit; dormientes in ſuum quēque diſcedere. Mihi quidem certè illius rei fidem nuper fecit mirificus quidam caſus. Iam diurnis laboribus feſſus eram, iam quieti me dederam, cùm animus meus incidit in varia viſa, ex reliquiis, credo, earum rerum, quas vigilans agitauerat. Viſus mihi ſum in iis locis verſari, quæ longè extra ſydera, extráque anni & ſolis vias erant poſita. Vbique deſertiſſima ſolitudo, & magnæ cuiuſdã intercapedinis vaſtitas. Hic, dum tacitus mecum miror, quis me deus ex illa hominum frequentia ſublatum in tam deuiis ſpatiis collocaſſet, ecce è lon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ginquo ad me feſtinat ſenex quidam naſo adunco, capite caluo, hirquina barbâ, vultu ad nugas & riſum compoſito. Ex habitu facilè coniectabam de qua gente eſſet. pallium enim ei vndique pertuſum & lacerum erat, Græculi philoſophi geſtamẽ. dextram baculus fulciebat. ſiniſtrum latus tegebat ingens pera. ex qua identidem lupinos & legumina, per ludum & iocum, obiectabat naribus comitis ſui, hominis triſtiſſiimi, & cuius faciem pallor, pectus multus ſanguis tinxerat. Interrogandi locus hîc erat: & ſtatim, mi pater, inquam, per genium tuum, perque dextram te rogo.

Dic quo ſub cælo tandem, quibus orbis in oris lactemur?

aut ſi Græcè magis calles,

Τίς γῆ, τίς δῆμος, τίνες ἀνέρες ἐγγεγάασι;

certè enim ignarus erro hominum & locorum. Tum ille aliqantiſper cunctatus, veluti re novâ obſtupeſcens, Profectò, hoſpes, inquit, nequicquam Deus hæc ſpatia ſedesque ab orbe veſtro abſcidit, ſi tamen vos terræ fines trãſilitis, & hæc ignota ac peregrina viſitis. Nihil deinceps mortalibus arduũ erit cælum ipſum adibitis tandem & quicquid præterea homini, dum in terra vitam agit, negatum eſt. Scito tamen in Epicuri intermundia te veniſſe, quæ nemo ante te corpore ſuo & iſtis membris preſſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Nam nos quidem vmbræ ſu-mus, & imagines defuncto-rum, quibus hâc tranſire ius eſt in diverſa regna. Ergo, in-quam, pater, ſi hoc verum eſt, deum illius magiſtri modò vi-di, quem ille, tanquam inter duos lucos, ſic inter hæc mœ-nia habitare dixit, metu ruina-rum. Obtulit enim ſe oculis meis quiddam planè diſsimile vobis, quod quale ſit, explica-re non poſſum. admirabili qui-dem celeritate huc illuc move-batur. Labia diſtorſit ſalſiſsi-mus ſenex, & ſubridens, Erras, inquit, fili. ſomnia enim ſunt, quæ de numine ſuo finxit ille. Cæterùm ſunt in terris theolo-gi quidam, homines cenſorio ſupercilio, qui vſque à cunabu-

lis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

lis ſapiunt. hi, cùm in anguſtâ cellâ, ſeptem penulis involuti, auribus modò exertis, ſedent, ſæpe occultâ quâdam & igneâ vi ſic rapiuntur, vti è pectore illis vnà cum ſenſu mens evolet, & in hæc loca ſe penetret, vbi ex magno illo inani nugas quaſdam euanidas, & ſubtilia deliramenta captat. mox in domicilium ſuum redit, illúdque fumo totũ replet & ventis. Cùm deſiiſſet, plaudere dicto ſuo, & gaudere vrbanitate illâ viſus eſt ita oculos malè argutos iactabat. Ego Cynici pus atque venenum ſenſi, qui dum riſum excuteret ſibi, nemini parcebat. Interim in alieno regno omnià tuta metuebam. Quare nihil reſpondere auſus fui. In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dignabar tamen ludos mihi fie-
ri à nequiſsimo ſene, quos for-
taſſe illi mortuo nemo quiſquã
fecerat. Ille, vt me preſsis labiis
murmurare vidit, Tibi quidem
nunc, inquit, ego aliud agere,
& iocari videor. Atqui certa
res eſt. &, ſi amplius dubitas,
fideiuſſorem tibi hunc ipſum,
qui mecum eſt, accipe. Viden'
tu lacerum illud os, & recens
eius vulnus? Nimirum iſte,
quod ſcias, heri obiit, hoc eſt.
viginti annis ante ſuum diem,
Mercurius autem, qui nihil-
niſi quod Parcæ ex tabellâ re-
citant, facere ſolet, hunc mor-
tuum aut neſciit, aut neglexit.
Errabat ergo viæ ignarus, do-
nec me ſibi ducem reperit. Non
ſum infenſus ſapientibus ve-
ſtris,

ſtris, viris, vt plerique putant, cordatiſsimis, à quibus me longa ſeculorum ſeries diſpeſcuit.

οὐ μὲν πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους

ſed tamen, quod dicendum hîc ſit, omnis cauſa huius mali ab ipſis eſt. Vitam enim hominum multis erroribus inuoluunt, dum quæ ſupra vos ſunt, quærunt, eaque ſpargunt in vulgus, Nuper, ecce, contentio inter illos orta eſt de fato, re anili ſanè & plenâ ſuperſtitionis. Certatur quotidie minutis concluſiunculis. gliſcit morbus, & iam ſutores ac fabros tenet. Omnia theatra & tonſorum vmbræ iſtis nugis perſonant. Certè heri, cùm ad forum deſcendiſſem, vti amicis

meis, Cynicæ familiæ viris, lupinos & fabas aliquot emerem Pythagoræ cognatas, duo ſcurræ cum fartore, & tres ſalſamentarij, neſcio quod æternæ legis imperium, & neceſſitatem loquebantur inevitabilē. In iſto hominum ordine, cùm quidam animo, qui eos gubernat, infirmo ſint, fit, vt, qui capere iſta nequeunt, in furias & in deſperationem agantur. Ita vis dementiæ in atram bilem erumpit. Ipſe ego, qui hoc triduum terras perambulavi, vota publicè in omnibus templis facta vidi pro furioſis, & mente captis. Ille pro patre orare, hic pro filio, alius cognatum commendare aut fratrē, quem fanaticus error vrgebat. Ex his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

his noſter iſte, quem duco, v-nus eſt. cùm enim miſerrimus bipedum multa animo ſuo agitaret, neque exitum poſſet reperire intricatæ rei, nobili facinore ſe expediit. ferrum ſibi in iugulum adegit: ſatis, vt ego opinor, imprudenter controverſiam enim eâ parte decîdit, quâ minimè oportuit. Hæc dum ille dicit, nihil alter niſi graviter ingemiſcere, & flere, & manu obiectâ vultum tegere. Ego eius caſum miſeratus, non continui me, &, Infelix, inquam, quid tibi in mente fuit? aut quid ad te pertinebat ſapientum noſtrorum digladiatio,

& infidos agitans diſcordia fratres?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Interpellans ſenex, Illum quidem, inquit, deus ſuus iratus extinxit. & ſi ab Homero oraculum vis.

ἆσέν ἑ δαίμονος αἶσα κακὴ, καὶ ἀθέσφα-
τος ἄτη.

ego autem, etſi, vt hoc diei tempus video, alio feſtinabam, tamen pii viri officio fungar. hominem enim errabundum, in Acherontis ripâ ſiſtam, vti illinc ad quietas animarum ſedes mittatur. placet hoc, quicquid eſt, humanitati dare. Tu, ſi plura ſcire, hoſpes, cupis, ſequere. & iam cum dicto perrexit. Oblectavit me tam liberalis inuitatio: & magna me ſpes habebat, futurũ vti multa diſcerem. Quare comitem me illi do, & impari paſſu, homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nis adæquo greſſum, mirè lentum, & quaſi ſuccretum cribro pollinario. Inter eundũ autem, vt fit, cùm multa cogitarem, ridiculum videbatur quod dixerat, duce ad Acherontem opus eſſe. acceperam enim nihil facilius eſſe deſcenſu Auerni. quippe clauſis oculis illuc iri. tum & ipſe quis eſſet, quò tenderet, aut in terris quid rei egiſſet, neſciebam. Quare iam rogare pluſcula tentabam, cùm ſubitò rerum quâdã nouitate animus & oculi in diuerſa trahebantur. Procul enim ſe aperiunt campi latè patentes, & murmur auditum quaſi æſtuantis aquæ. ſtagnum deinde ingens, & ripa appâret, in qua ibat hinc inde numeroſum agmen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Ab aliâ parte Mercurius accedit, cum petaſo & pinnulis, homo iuvenis, qui virgula ante ſe agebat quantum mortuorum dederat illa dies. Quem vt vidit noſter ſenex, nequiſſime deorum, inquit, vt numquam diligens es! Elapſus tibi hodie eſt miſer iſte, quem tu accipe, & duc cum cæteris. Inſpeximus deinde ſingulos valde curiosè. plerique peregrini erant, è Gallis, Hispanis, Italis. quorum maximã partem vis, aut dolus acerbo funere peremerat. E gente noſtrâ vnum agnovi, quem paulò antè in aulâ videram purpurâ & oſtro fulgentem. Nunc nullo excellenti habitu, & pari lege cum cætaris in cœlum deſcendebat.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Quod vt ſenſi, ſuſpirium ab imo pectore duco, & iam conſilia hominum ac vota damnabam magnarum cogitationum. Dii, deæque, inquam, quid ſumus? adeóne nihil eſt, quidquid honori & ambitioni velificamur! Non vacabat Mercurio declamatorem audire. quare gregem ſuum porrò agit. Vnà pergit purpuratus ille, ſed cum maieſtate. Siniſtram enim ad huc quaſi codicillis onuſtam gerebat, & epiſtolis hinc inde prolatis commodabat grauem vultum. Salutantem me clauſo labello, & flexo in tergum capite reſpexit. Adeò faſtidioſi ſunt in aulâ plerique. vbique è clientibus aliquem ſibi credunt occurrere. Poſtquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

abiiſſent illi, & nos ſoli eſſe-
mus, vultum adſeuerauit ſe-
nex, & his verbis ad me loqui
cœpit: Quandoquidem, ado-
leſcens, ſemel iam terræ clau-
ſtra, & mundi obices perfre-
giſti, certumq. tibi ſtat fines
ſcientiæ paulo longius, quàm
natura voluit, proferre; fauebo
profecto feruidæ virtuti tuæ, &
fortunam, quantum poteſt, ad-
iutabo. Ego Mennippus ſum,
famæ celebritate ſuper aſtra no-
tus. E terris autem venio, quò
ſæpe excurrere ſoleo, vti resho-
minum viſam. Nunc ad rem-
publicam noſtram, in quâ eru-
ditorũ manes ſeorſim ætatem
agunt, proficiſcor. Ita enim res
eſt, hoſpes. Non omnes, quod
tu exiſtimas, ad Tartari ſedes &
Ditis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Ditis ad regnum mittuntur: ſed fatum quoddã ſingulare corũ eſt, qui in terris dum eſſent, doctrinæ ſtudia ſecuti fuerunt. Iacet in propinquo inſula, cui nullam in orbe veſtro ſimilem eſſe fateberis. Ea magnitudo illius eſt, & amœnitas; ad hoc, præclara multa & admirabilia, quæ nunquam ſuſpicati eſtis. Hîc gens illa noſtra in rebus iucundis & bonis vitam quandam vivunt deorum. nam & otio omnes fruuntur beato, &, ſi qui ſunt, quos olim fames, fideliſſima comitum ad mortem vſque proſecuta eſt, ii hîc omnibus copiis & voluptatibus affluunt. Cæterũ, quod in maximâ felicitatis tuæ parte ponendum eſt, benè atque in tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pore tibi nunc terras relinquere, & huc euolare contigit. Hodie enim in regno noſtro res maximi momenti certabitur, quæ mirè ſollicitos habet pleroſque nouos ciues. Adeò nulla eſt felicitas, quam non aliqua parte ægritudo contaminet. Audiuiſti in cœlo maiorum gentiũ deos ſæpe turbas dediſſe, cùm nouis quibuſdã & adſcriptitiis ciuibus ſtatus comtroverſiam mouerent. Idem quoque apud nos nunc fit. Non enim contendendi libido, quæ eruditos in terris inquietat, eoſdem, cùm illinc exceſsêre, deſerit. Atque olim quidem eâdem æqualitate omnes in rep, continebantur. Ciuibus communia inter ſe erant iura, ſuffragia, & con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

& conſuetudines. Poſtea, vt nihil perpetuum eſt, populi imperium in paucorum potentium ius atque ditionem conceſſit. Cùm enim plebem ex otio & ſecundis rebus inuidia ac æmulatio cepiſſet, optimates, occaſione vſi, in alias partes iuêre. Populi vis ſoluta & in plures diſperſa nihil potuit. cæteri, cùm factione magis pollerent, paulatim rempublicam occupavêre. Hi annuos magiſtratus creare primi & gerere, populum ſuffragijs privare, dignitates mandare clariſſimis è ſuo ordine, quos omnis ætas tuliſſet. nihil enim refert quando aut vbi vixerint. Virtus & eruditio, non ſeculum nec anni æſtimantur. Ex hac re-

rum

rũ mutatione illud adeò, quod dicere cœperam accidit, Iam ab annis aliquot indies apud optimates magis euileſcere cœperunt iſti ex plebe eruditi, & hæc proletaria turba, quam veſtra nunc ætas ſine fine aut modo ad nos tranſmittit. Tanta barbaries orbi veſtro incubuit: & id ſeriò triumphant, quotquot ex illa fæce ad nos veniunt, Igitur nuper frequenti conſeſſu proceres in medium conſultauêre. pars ſic cenſebant: quoniam ſumma nunc poteſtas eſſet penes viros antiquâ & probâ eruditione, ſedulò cauendum eſſe nequid reſpublica à nouitiis detrimenti caperet, quorũ plerique nihil eſſent niſi probra & dehoneſtamenta tanti nominis
agerent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

agerent porrò, & viderent ne ius ciuitatis commune omnibus foret. indignos eiectũ irent, finibus arcerent. cæteros, qui venturi ſint, cum delectu virtutis admitterent. id adeo facile eſſe, & in manu illis poſitum. ita futurum, vti in rep. beatiſſima nihil ſuperſit niſi flos delibatus dictrinæ. Contra hæc alii nitebantur, quibus ſtudium manſuetudinis & modeſtiæ erat. monebant moderate agendum; ſecus non imperium, ſed tyrannidem agitari. & quid tandem futurum eſſet miſeris ciuibus; ſaltem cogitarent multa pro illis dici poſſe. cauſam eorum nondum damnatam eſſe. defenſores eis darent; reos agerẽt publico iu-

dicio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dicio. Ea res diu agitata vtrinque fuit. Tandem decretum huiuſmodi fit; Velle ſenatum intra quintum diem omnes regulos in vnum conuenire: ibi quemq. contra nouitios, aut pro illis, quæ ſentiret, afferre: pòſt ex copia rerum ſtatui quid de his fieri placeat. Locus, tempus conſtitutum eſt. atq. adeò nunc dies comitiorum illuxit. Tu, adoleſcens, ades, & para te ad pulcherrimum ſpectaculum. Me vide. omnia tibi tuta ſunt. fide & periculo meo ibis. Quæ cùm dixiſſet, ſtatim animi lætitiam vultu prodidi, &, ô me felicem, inquam: ego verò, pater, ſequar te, ac libens. Nihil deinde cunctati ſumus; ſed primùm ſyluam ingredimur denſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

denſam & aſperam, in qua ſecretum loci & proceritas arborum, horrorem mihi fecêre. Hanc vbi erepſimus, flumen nobis ad ſiniſtram occurrit, quod verſus orientem labitur, & inſulam à continenti diuidit. In vlteriore ripâ ingens turba ſtabat. qui vt Menippum agnouerunt, cymbam expediunt, & portitorem ad nos mittunt. ille nos receptos traijcit. Tum ſenex meus, ſimulac pedem è ſcapha extuliſſet, Salue, inquit, gratiſſima tellus, & vos fratres mei, eruditæ animæ. hominem vobis ex vltimâ regionum Batauiâ adduco, nondũ fato functum quidem, ſed noſtris tamẽ literis & ſacris initiatũ, quem vos, ſi quid me auditis, carũ accep-

cep-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ceptùmque habetote. Hæc & alia, quæ in rem forent, cùm pro me dixiſſet, illi circum fuſi illicò dextras mihi iniiciunt, &, Quiſquis es, inquiunt, noſter eris. Inde digreſſi, in planiciem imus æquis ſpatiis porrectam, vnde, qua viſus patebat, omnia luſtrabam. circum hanc colles vndique erant, quos paſſim fluuii interluebant vino & melle currentes. Ciues non vrbibus neque domiciliis tenebantur, ſed cateruatim, vti quoſque fors conglobauerat, ibant per loca pura atque innocentia, fruebanturq. ſedibus ſacris. quidam inter roſas & myrtos fuſi corollas nectebant, aut aliud agebant denique. Ager
frugum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

frugum & herbæ lætus, ſuopte ingenio alimenta gignebat.

Ver perpetuum erat, & Zephyrus florum pater toto anno per virgulta leni errabat ſuſurro. Verùm naturam loci, & alia quæ ibi ſunt, parum ſtudui perdiſcere. tam in civibus magis hærebā diverſo vultu, & non vnius ſeculi. quorum patriam & gentem dum quæro, Menippus ad ſiniſtram conuerſus, gregem nouitiorum mihi oſtendit, &, Iſti omnes, inquit, populares tui Belgæ ſunt, quos nuper vna dies nobis dedit. dein nominat ſingulos. ibi ego ſtupeſcens, Magnus verò, inquam, prouentus, ſi vnius anni foret. ſed obſecro, pater, num

ludis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ludis tu me? ego hos non modo in eruditis habitos, ſed omnino natos eſſe neſciebã. Imò, vt vides, inquit, res eſt. hi ciues noſtri fiunt. neque intelligunt miſeri in ſe nunc hanc fabam cudi. Nos interea loci ad antrum quodã venimus, quod in receſſu ſtabat, incultũ tenebris, circiter LXXXV pedes humi depreſſum. Vbi paululũ deſcenderis, ad læuam fores ingentes ſunt, ferreo vecte clauſæ. quas vbi aperuit ſenex, puteũ mihi monſtrat, in quo ſpeculũ erat pariter ex parte omni globoſũ. &, vides, inquit, imperij noſtri arcana. quippe huc proceribus noſtri quoties libet, deſcendere ius eſt, & quicquid in terris vſpiã fit, cognoſcere. ego cùm propius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pius acceſſiſſem, uno obtutu cernebam omnes ubique.

Terrasque tractusque maris. ..--
recludebantur omnium ædes, nihil in receſſu ullo, neque in penetralibus tam abditum fuit, quod videre & audire non poſſes. Murmura quoque ſingulorum & ſuſurri quaſi coram audiebantur. Quidam rabulæ in fas nefaſque verba ac iras ſuas locabant. Novercę herbas & verba miſcebant non innoxia. Matronas permolebant adulteri, diverſo quiſq; fato. Puella quædam in ſervi complexibus, ignarâ matre, movebatur, ne primâ nocte virum timeret. Cæterorum erat ſpecioſior occupatio. ille in ſeducto ædium re-

C ceſſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ceſſu ſuas alienaſque fortunas ſpe metuque verſabat. hic magnatium pererrabat fores, & ſervulis eorum innotuiſſe pro magnifico ducebat. Alibi in Academiæ umbrâ, ſcientiarum doctores ambulabant non indoctè. quibuſdam in facie ſedebat miſeræ magnæque invidiæ pallor. quippe dolebant alium à pluribus adoleſcentulis audiri. hoc illis febris eſt. Magna mihi copia eſt memorandi, quibus in locis turpiſſima patrari ab ijs viderim, qui animum vultu, flagitia parietibus tegunt. Verùm ea res, ut eſt eius multa ac magna diverſitas, longius nos ab incepto traheret. Poſtquam inde egreſſi ſumus, concurrere undi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

vndiq; magnã civium multitudinem videmus. Iam enim ex ſenatus decreto edixerat præco, uti ad ædem Pædiæ frequentes adeſſent. ibi verò permoti plebis animi, atque immutata omnium facies. ſuo quiſque metu pericula metiri, feſtinare, trepidare. Nos in turba luctamur, & iniuriam tardis facimus, donec ad Pædiæ perventum eſt. Templum vetuſtum fuit, de marmore ſtructum, ubi ſanctiſſima diva, cuius in fide eruditi ſunt, perpetuis colitur honoribus. circum hoc ſedes & ſubſellia latè diſpoſita fuêre, quæ armis cingebantur. ſenatus enim ſine tumultu præſidijs collocaris, uti res atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tempus monebant, milite ſe muniverat. Iam autem ex templo procedebãt proceres, purpureo amictu inſignes,& ſubſellia implebant. Totidem deos cernere te putaſſes, tam ſingularis maieſtas in ſingulis, tantus decor in vultu erat. Sedebant veteres Græci, Romanique,& barbari:tum è recentibus, Galli, Itali, Belgæ, Germani.breviter, quicunque ullo ævo,aut uſpiam exſtitiſſent ingenij & doctrinæ principes. Vnus erat inſignibus imperij, & cætero habitu auguſtior, qui loco celſiore, & aureâ ſellâ comitiis præſidebat, quem vt conſpexi,faciem viri,magis ex imagine eius, quàm ex ipſo,agnoſco:& ad proximum,

quæſo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quæſo, inquam, num hic E-
raſmus noſter eſt? Ille annuēs,
nihil erras, ait. ipſe eſt. ſcito
autem annuâ poteſtate prin-
cipatum in hac republicâ geri.
id imperium forte quadam
nunc Batavus ille veſter tenet.
cęteri, quos vides, diverſâ
quiſq; dignatione remp. admi-
niſtrant. ita ſe mores habent.
Inter hæc præco exurgit, & ſi-
lentium facit. Simul princeps,
ſceptro eburno nixus, ſic infit:

DII *manes, non inſciens ne-
que imprudens ſum, quantâ in in-
vidâ res hæc ſit, qua me principe a-
gitur. Nam & quos ſemel recepe-
ris, civitate everſum ire grave eſt:
&, qui deinde affluent, ſi aditu
prohibeantur, ego autor dicar:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

meum id cuncti, non veſtrum factum cenſebunt. Quippe in imperio, quod veſtro iuſſu nunc teneo, hæc iniquiſſima conditio videtur, quòd, quæ omnes male conſultavêre, uni imputantur. Et tamen, dij manes, vos ego teſtes habeo, ex quo princeps factus ſum, leniter me remp. rexiſſe. Verùm, quoniam vobis id in pectore conſilij eſt, vt parandi iuris, & maieſtatis conſtituendæ gratiâ, de indignis civibus ſententiam feratis; quod diu agitatum inter vos eſt, tandem me dolente fiat. Equidem ego ſic apud animum meum ſtatuo, valde id ad gloriam meam pertinere, quòd mihi nunc, quicquid in perniciem publicam invaluit, corrigere licet, atq; eius rei fructũ percipere, quẽ maximè peto, vti optimi ſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſtatus autor dicar. *Sed me rurſus ille metus ſolicitat, ne vos contemptor animus & lubido, commune noſtri ordinis malum, à recto bonoque tranſuorſos agat. ex quo enim tempore populus, libertate amiſſâ, ius imperiumque noſtrum accepit, quam immenſa ſit noſtra poteſtas, ſcitis. Ex noſtro nutu lætitiæ dolorisq; cauſas cuncti concipiunt; nos fortunam, & alia, quæ ævide cupiuntur, dono damus: quos cives in bonis malis ve rebus eſſe, quos proſcribi oporteat, noſtra iuriſdictio eſt. Hanc tantam facultatem rerum in ſuperbiam & libidinem vertere, proclive eſt. quippe hâc animi infirmitate ſumus; magnæ potentiæ nihil citiùs deſit, quam moderatio eius. Quod ego vos moneo, quæſoque, dij manes, uti ani-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

inaduortatis : neu cogitetis fore, vti miſeros advenas, inauditos & indefenſos, tanquam innocentes proſcribam. Cerno ego plerosque veſtrum, huic nouitiæ genti mirè infeſtos eſſe. ſed magnam rurſus partem eidem fauere, id quoque ſcio. neque id adeo mirum videri debet. quippe illos ipſos multum reip. noſtræ addere, ac benè de ſcientiis diſciplinisque mereri, fortaſſe haud negandum eſt. Quare, quoniam publici iudicij mos ſeruandus eſt, vos vniuerſos, dî manes, ipſa res huc vocat, vti pauci quidã è vobis, quæ optima poſſunt, aduerſus nouitios, proque illis dicant. Ita re diſceptatâ, quid agendum porrò ſit, conſuletur Ea vera atq; ſimplex via eſt ad bene iudicandum. Quæres igitur mihi principatuique

cipatuique meo, populo plebique eruditorum benè atque feliciter eveniat, qui novos cives accuſare aut defendere vultis, ſurgite. poſt unà omnes ite in ſuffragia.

Finierat ille. & iam de his, qui dicturi eſſent, agitabatur, nec initio inter omnes convênit tandem, quoniam proceres non unius ſeculi gens eſſent, neque ad cunctos pariter res pertineret, viſum fuit accuſandi poteſtatem ijs facere, qui ante Eraſmum, & poſt eam tempeſtatem, extinctum iam ab immaniſſimis gentibus eruditionis nomen excitaſſent. Quorum ſanè ingens ſedebat multitudo, eoſque maximè permovebat recens nata barbaries. Quare nemo

 fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

fuit, qui eas partes non flagrantiſſimè depoſceret. His legibus autorati ad rem diſceptandam deſcenderunt. Maximè autem Italis quibuſdam, viris magnis, & qui melioribus annis nati erant, animus ardeſcebat. éque his Angelus Politianus, quòd dexterâ principem adſidebat, primus ſic infit.

Quæ princeps noſter compoſitè atque magnifice paulo ante in hoc ordine locutus eſt, dij manes, ea magis verbo tenus, quàm quod ita neceſſe eſſet, dicta arbitror. Nam & vos univerſos ſic affectos ſcio, uti reipublicæ quiſque, non veſtræ potentiæ conſulatis; & mihi animus ſemper ab odio, irâ, partibus

reip.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

reip. vacuus fuit. Quod utinam dij immortales voluiſſent, uti aut vobis mecum tacere liceret, aut ſaltem vana noſtra foret de publicis malis querela. Equidem ego quoties res hominum cum animo meo reputo, tacite incuſare fatum ſoleo, cuius maligna perpetuáque in omnibus rebus lex eſt, vti ad ſummum perducta ſtare loco neſciant, finiſque omnium appetat, ubi incrementa conſumpta ſunt. Nos pridem, dij manes, cum in terris latè omnia barbaries occupaſſet, veteres artes ſcientiaſque revocavimus, per quas Latinum nomen, & Græcæ eruditionis crevère vires. Nos ſapientiæ conſultiſſimam viam aperuimus? unumque omnium certamen fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

nequid profuturum ſeculis diu lateret. *Egregium me hercule opus, & inter præmia gloriæ noſtræ numerandum, cum ſtudio noſtro dignitas diſciplinarum in illud culmen evecta eſt, ex quo illam longa dies & ſeculorum iniuria detruſerat: Iam illa lætiſſima vox omnium audiebatur, felices ſe, felicem eſſe rempublicam: nihilque ad tanti boni perfectionem accedere poſſe, niſi ut dij muneribus ſuis propitij eſſent, tantiſque rebus adderent perpetuitatem. Quid igitur eſt, dij manes? fuit, prô dolor, fuit averſa ſuperis voluntas, ex illo enim tempore in deterius quotidie res data eſt; ipſaque eruditio neſcio qua iniquitate naturæ, velocius quidem, quam aſcenderat, retro ſe tulit. Magna vis*

inſci-

inſcitiæ, atque ineptiendi libido in animos omnium, veluti tabes, inuaſit, pluribuſque populis exitio eſt quam fames morbive, quæque alia in deûm iras, velut ultima ſuppliciorum, vertunt. *At vos quidem, quibus rebus tantam claritudinem aſſecuti ſitis, neminem clam eſt, dii manes. Etenim poſtquam vobis ætas ingeniúmque adoleuiſſet, neque nox, neque dies curam animi vobis ſedauit, quin omnem vitam porrò in optimis artibus ageretis. Ita agendo, vigilando, quidquid mortalitas capere poterat, impleuiſtis. Exſtant diuina ingenii veſtri monumenta, eáque omnis æternitas intuebitur. Quæ vos profectò non quàm multa, ſed cuiuſmodi forent referre*

veſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

veſtra credebatis, quippe æſtimari ea, quam numerari ſatius eſt. At nunc, obſecro vero vos, inſpicite tempora & mores. Nam qui ſunt hi, qui ad nos quotidie veniunt? homines ignaviſsimi, ſtupore & pituita demerſi, quibus febriculoſum aliquid ſcripſiſſe, immortalitatis pretium eſt. Iuro vobis dij manes excelſa quædã & pulcra res eſt eruditio, quam illi ne de facie quidem noverunt. Non recipit egeſtas animi eorum, tantam maieſtatem, tam gravem, tam ſeveram. Pars ſomno, & languore, & quod his peius eſt, rerum bonarum faſtidio torpent. Alij, ſi ad hæc ſacra, & illos fontes admiſsi ſint, planè, vt canes in AEgypto, bibunt & fugiunt. Et tamen ex hac imperitâ turba nemo eſt, quin
ſomnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſomnia ſua & ineptias quotidie vulget, ſibique inter tot magna nomina, ſi dijs lpacet, aliquod famæ ſpacium quærat Dicam, quod res eſt: corruptiſſimo ſeculo plurimi ſcriptores ſunt, &, quæ antea paucorum virtus fuit, nunc vulgi vitium ſit, & omnium morbus. Quid enim? num ſingulos aut paucos hæc libido tenet? undique, velut ſigno dato, ad ſcribendum coorti ſunt: adeoque in publicum miſſa inſania eſt, & in omnium pectoribus evaluit ut maximam gloriam in maximo voluminum numero putent.

NB

Pauperis eſt numerare pecus.—

Olim Lyſimacho imperante, ut ſcitis, di manes, res ridicula accidit, & nimis iocoſa. quippe cum

Arche-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Archelaus media æſtate, flagrantiſſimo ſole, Andromedam ſuam decantaret, forte Abderitas vniuerſos, qui tunc aderant, ex Caniculæ adflatu ardens febris inceßit, quæ poſt ſeptimum diem deſit in delirium. In omnium enim ore verſus quidam Tragici, & modulati ſont, iambíque inerrabant. donec tandẽ ſub hyemem vis morbi deceßit. Mihi res contigiße nunc haud diſsimilis videtur. niſi quòd magis pertinax hoc malum ſit, & ægro in pectore ſeneſcat. Qui bis in anno nomen ſuum ad Germanorum nundinas non tranſmittit, eruditionem ſuam in ordinem coactam credit. itaq; nunquã tot fungi vna pluuia naſcuntur, quot nunc libri vno die. Quin igitur expergiſcimini? creſcit & ſerpit quotidie mali labes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

li labes, & ad ſummam reip. ſpe-ctat, niſi occurritis, Dÿ manes. Non hîc ſegnibus conſilijs opus eſt, quæ timidi cauta vocant. *capienda præceps eſt via, & omnia aſpera peruadenda. nam aut nunc ſemel de totâ re aliquid conſtituendum eſt, aut fruſtra deinceps de ſingulis articulis temporum deliberabimus. Mihi quidem animus nunquam deerit. quippe ipſa negotÿ atrocitas, formidanda alÿs, erectiorem me facit.* Quædam vtique vi tractanda ſunt, quò cæteris quies ſit: *& alioqui, quod in omni magno exemplo contingit, ſcitis hercle, ſi quid hic iniquum eſt,* id aduerſus ſingulos vtilitate publicâ rependi. *Quare ego ita cenſeo, degeneres hos aduenas ad vnum omnes, fronte inuſta,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

inuſtâ, barbâ ad vivum detonſâ, finibus noſtris exterminandos eſſe, diſque ſuis relinquendos iratis. Tum & Mercurium in terras mittendum, ut, quid actum hic ſit, omnibus ubique gentibus exponat. Ea verò pulcherrima laus erit, retinere mortales à ſtultitiâ & malis libidinibus: & nos, di manes triſte quidem exemplum, ſed in poſterum ſalubre edidiſſe videbimur.

Huiuſcemodi oratione habita Angelus, poſtquā multorū animos arrectos vidit, veritus id quod in tali re ſolet, ne omnis invidia prolatādisconſultationibus dilaberetur, Picum Mirandulam, Hermolaum Barbarum, ad hoc alios ex eâdem gente, quos additamen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

menta factionis habebat, hortatur uti ſententiam ante cæteros dicant. quippe magnum in ea re momẽtũ eſſe. Iamque Itali plures magno ſtudio ſe ad dicendem componebant, cum è circumſtantium turbâ quidam ſurgit turgentibus oculis, acuto capite, & auribus longis, quæ ſic movebantur, ut ſolent aſellorum. Is contenta voce audiri ſe poſtulat. ſuam & popularium rem agi. velle ſe publicam miſerorum cauſam defendere. darent ſaltem hoc jus novitio homini, néve ſupplicis vocem in noviſsimo caſu contemptam haberent. Fit illi poteſtas. & ſimul inuſitato molimine ac moleſto apparatu, ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tu, neſcio quos abditos ſenſus pectore ſuo evoluere parat. Ego defixis oculis pileum, quem gerebat, latiſſimum intuebar. de fungorum genere hominem putabam eſſe, quippe capite ſe totum tegebat. quare è proximis, hoc quid rei ſit, rogo. illi aiunt, pleroſque eruditos, qui haud procul à nobis, in frigidiore plaga vivunt, gravitati ſuæ commendationem ex hoc habitu captare, nam vanis rerum eos decipi. ita ſe mores habere. nec pileo illic modum, nec pallio eſſe. Dum in his ſumus, adhuc orationis principium arceſſebat miſerrimus mortalium, & mirè ſe inflabat. Tum Menippus, quantum poteſt, altè clamans, ait,

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Quid dignum tanto dabit hic promiſſor hiatu?

Ego, dî manes, ſuadeo nigrum agnum cædatis. nam venti turbinem aliquem exſpecto. Ille, poſtquam diu ſcreavit, & ſapientem barbam manu bis térve permulſit, tandem dicere quædam orditur, ſed adeo putida & inſulſa, ut referre pigeat. Nunquam ego fore ſperaveram uti illinc vivus diſcederem. Initio admodum anxiè totam rem diviſit. multa de honeſto dictu-rum ſe promittebat, déque utili, & neceſſario; & alia huiuſcemodi, quæ ab umbratico doctore adoleſcentuli diſcunt in ſcholâ, nec vnquã in foro dediſcunt viri. Ipſa

dictio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dictio male affectata, & peregrinæ inſolentiæ plena. Vbique ampullæ, corybantiaſmi, & verba ſeſquipedalia. ſingulas voces cũ criſtis & ſuperciliis natas dixiſſes. Adeo nihil pudicum aut temperatum erat, ſed maculoſa omnia, & turgida. Non eſt paſſus Menippus eum diutius declamare: ſed, bone vir, inquit, quoniam ſermonem habes non noſtri ſaporis, ſenatus te pro tam pulcra opera in poſterum ſilere iubet.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis. Tempus eget.

ſimul medicum quendam advocat, cuius ope tam gravis morbus levetur. is homini crebram ambulationem, ad

hoc

hoc betę maluęque eſum, poſtremo vomitum præſcribit, uti inſanus tumor ſubſidat, & vacuetur noxia copia. Affatim riſum eſt ab omni conventu. At Hermolaus, ne quod vacuum tempus ſit, ex re nata in hanc ſententiam loquitur.

Verba putidiſsimi hominis audiviſtis, dij manes, en, cum quibus heroibus res nobis ſit, quicquid ille imperite & ſtolide dixit, minus quam pro morbo ſeculi dictum ſcitote eſſe. Ne autem neſcij ſitis, magnum hic nomen decuſque inter ſuos geſſit: neque lupum, quod aiunt, auribus, ſed cunctam plebem tenuit. quoties enim inſulſa eius vox ſubſellia doctorum & cathedras perſonabat, fænum alios aiebant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

bant eſſe oportere. tanta in admiratione omnium nuper fuit. quem olim coquus meus, aut quilibet paterfamilias, arreptus ex aliquo circulo, ſpreviſſet. Non dicam, dij manes, quanta ſecuritate quidlibet ſcripſerit magnus hic ſcientiarum dictator. nam etſi ſupra fidem ſit, maior tamen aliorum impudentia dicam an intemperies eſt, qui ingenio & virtute minores ſunt. Expecto quam mox muliones & aurigæ, abiecta ſcutica, ſtylum capiant, & ad beatas ſedes noſtras affectent viam. Ante annos aliquot, armorum ſtrepitus, qui per Europam fuit, incredibile memoratu eſt, quantum potuit. Mihi quidē, quod vulgi ſermone iactari audiueram, iam pro certo eſt, bellū omnium patrem eſſe. cùm tot hi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſtoricos tam exiguo tempore pro-duxerit. Etenim in caveâ ſi fo-rent concluſi omnes, itidem ut pulli gallinacei, tamen haud poſſint, opinor, uno an-no circumiri. *De cæteris, qui in literarum amœnitate ani-mum habent, ſupervacuum eſt dicere. Magna enim hic diver-ſitas inſanientium, & mira occur-rit diſſimilitudo: cuius latentem cauſam ſcit Genius fortaſſis, qui a-ſtrum cuiuſque temperat; hominem quidem ſcire arbitror neminem. Quidam arcem extruunt ex cloa-câ, aut piſtillum exornant. aliŷ lu-cem Soli fœnerant, & obſerva-tiunculam unam item atque alte-ram oſtentant notiſſimarum re-rum, quas profecto nemo neſcive-rat, etiam priusquam Theognis*

 naſce-

naſceretur. Longè ego Augiæ ſtabulum purgare maluerim, quàm omne ſtercus è libris illorum everrere. In ipsâ fronte titulus ſplendet immanis, portentoſus, & propter quem iure aliquis deſerat vadimonium. Faſtidioſus lector peregrina novitate invitandus eſt. Super omnia tamen eſt, quod marſupij pleriſque maior cura, quàm existimationis ſuæ ſit. ſi enim illuſtris viri nomen paginæ ſuæ præſcripſerint, à quo pretium & peculiola ſperetur, quid in vulgum extrudant, aut quo modo, nihil penſi habent. Nempe igitur, dî manes, date frænos impotenti vitio, & ſperate futurum, vti ipſi ſponte finem ineptiendi faciant. Næ iſta cunctatio (falſus utinam vates ſim) magnum aliquod malum dabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

bit. Ego agendum, atque obviam eundum cenſeo, vti huiuſmodi cives in regno noſtro amplius ne ſint. Vos quod faxitis, fortunatum eſſe velim.

Aſſederat Barbarus: & ego animo oculiſq; intentus, magnopere verebar ea res quorſum evaderet. Ecce autem de improviſo ſenex quidam, exercitati vultus, qui ad latus conſiſtebat meum, manu leviter admota, aurem mihi vellit, &, adoleſcens, inquit, vides me? *nec auguria didici, nec Mathematicorum cælum curare ſoleo:* & tamen qui ſis non ignoro. perpruriſcunt tibi quoque digiti, &, cum tanta omnium ſtudia cernis, imbecillis ætas ambitione corrupta te-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

netur. Ego, vt verum fatear ex propinqua vobis gente ſum, quæ ſola iſti vitio hodie eſſe parens putatur. at ita, ut uſquam aliquis, ineptias popularium ſemper odi: & nunc, ſi in meos imperium mihi dî hominesque darent, non idem ius in regno meo quidlibet agendi omnibus foret. nam qui de indoctorum grege ſunt, ijs negotium darem, quoniam quieſcere nequeunt, uti locupletes indices conficerent, ita eruditis adminiſtri eſſent ad rem laborioſiſſimam. Aſinum quoque Muſici cantus rude eſſe animal noſti. ex oſſibus tamen illius vide quam pulcræ tibiæ fiant. nihil tam malum

eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

eſt, mi fili, quin aliqua parte proſit, ſi uti ſcias. Iraſcebar ego malè gerulo ſeni, & quia me tangere viſus erat, paucis reſpondere volui. Verum iam è Friſiis Rudolphus Agricola ad dicendum ſurgens, aliò me vocat. is hoc modo diſſeruit.

Nullam adhuc rem, dî manes, dignã virtute noſtrâ agimus. Levia quædam & exigua mala ſunt, de quibus verba fecêre viri maximi, Angelus & Hermolaus: quos ego in dicendo non ſolum graves, ſed etiam truces eſſe ſcio. Illi mihi diſſeruiſſe vidẽtur de pœna eôrum, qui cum præclara quædam cuperẽt, non tã voluntate, quã curſus erro-

re decepti ſunt. quorum hercle obſcuram diligentiam nec ego fero. verum quia innocui ſunt, & ſine omni malitiâ homines, priùs quid in alios ſtatuamus, conſultandum cenſeo, qui ſeculi pernicies ſunt & certa ingeniorum peſtis. Iam primum omnium ante annos abhinc multos, homines quidam exorti ſunt, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuventus in ludos convenit. Ii ſe philoſophos dici & haberi volunt, cum, proh dij boni, violare ipſam ſapientiam, omnium rerũ parentem & primi hoc parricidio ſe polluere auſi ſint. Præclara Ariſtotelis atque Platonis progenies, geniti uti ea, quæ cæteri olim ingenio pepe-rere, deſtruant. Nam quid aliud agitur, dî manes? vaniſſimis rebus

capti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

capti, ne paratas quidem a vobis ſcientias audent cognoſcere: ſed accuſatores antiquitatis, argutias tantum docent, diſcuntque. Profectò ita ſe res habet. omnis eorum induſtria intra contortulas captiones ſtat: à quibus ſi pedem extulerint, putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Equidem ſæpe audiveram eſſe parva quædam animalcula, quæ in anguſtijs mobilia, campo deprehenduntur. tales eſſe hos puto, qui lucem atque aperta ſpatia odêre, & cum parum curſu valeant, flexu eludunt. Et, quæſo, conſiderate quam converſa rerum natura ſit. Antea veri exploratione ſolus hic ordo iure gloriabatur; & eo ſapientes reliquam multitudinem facile anteibant. Nunc in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſummâ inanitate verſantur, & ſuis ipſi mentibus offundunt caliginem. non ſum equidem tam ſeverus iudex, uti nihil donare ingenijs velim. ſcio enim multos & vitio naturæ, & licentia temporum ineptire. verum hæc, dî manes, non vitia, ſed portenta ſunt. Qui ſubtiliſsima collectione alterum fallere didicit, is rex eſt, & digito ſe cœlum putat attingere. Solem illum nonnulli Lunam eſſe evincent, & noctem, quì nunc eſt dies. Nemo ægrotus quicquam ſomniat tam ridiculum, quod iſti ſerio vultu non aſſerent. Itaque iam ad ſummam venimus:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

quæ manifeſta ſunt, inficias ibunt:

plané

plane ſtulti impoſtores; à quibus quicunque victus abit, iucundius ipſo victore dormiet. Quippe moleſtus eſt labor ineptiarum, & miſera mihi res ſemper viſa fuit, difficiles habere nugas. At qui ipſis inſtitutum placet. hoc amant, hoc laudant: hanc tam bellā artem, tanquam filiolam ſuam exoſculantur. Quamquā, ne exiſtimate, dî manes, eos hactenus inſanire. Mox enim ab hoc vitæ genere detriti & retorridi, ad rerum dominam iuriſprudentiam, cæteraſque ad diſciplinas adeunt, & quos fluctus in ſimpulo, ut dicitur, dederunt, eos poſt excitant in AEgæo mari. Ita omnes ubique res, omnia vitæ munia pervertunt. Sequitur duces ſuos imperitiſſimus quiſq. cæteriq́; omnes, qui magna mercede nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſapere didicerunt. Non licet rectâ viâ ad ſapientiam graſſari. Obſiſtit enim eunti officitque errantium multitudo, quodque peſſimum eſt, plerique pereunt exemplis. Qui ante nos vixere, cordatiſsimi mortales, haud ignorabant quibus eſset magiſtris opera danda. Hæc nova, quæ iuvenes ad magna ſurgentes immodico ſtudio ſequuntur, neq; placent, neque recta iudico. Quò nobis acriùs annitendum eſt, dij manes, vti neque cæteri contagione inſaniant, & illis ſua pœna ſit. Certè vno quidem hoc genere exhauſto, multa mihi & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ recepiſſe Reſpublica videbitur.

Cùm dixiſſet Agricola, cæteri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

teri verbo, alius alij variè aſ-
ſentiebantur. Interea loci in-
gens multitudo novitiorum
adeſſe nuntiatur. Quorum
nomina in tabellâ perſcripta,
actuario, M. Antonio Sabel-
lico tradit Mercurius; & ſimul
omnes in medium conven-
tum trahit. &, dî manes, ait, ne
miramini, autumnus nunc
eſt : is febres adducit, & reſi-
gnat teſtamenta. Vt intrave-
rant omnes, unus ex illis ad
nos accurrit, & arctè me pre-
hendens, Salve, inquit : teneo
dextra genium meum. Vt
propius conſideravi, agnoſco
familiarem meum: &, ita? in-
quam. etiam te in his oris
conſpicio? Imo ait,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

—longa eſt iniuria, longæ
Ambages.

neſcio utrũ medici me fraus, an imperitia occiderit. nã ex agnatis erat, & heredem ſcripſeram. Comploſit manus Menippus, & in petulantiſſimum cachinnum effuſus, Ridiculum verò, inquit. præmio enim improbam ſpem ſolicitaſti. Atqui temeritas & imprudentia, ſolenne medicorum vitium, abundè per ſe pollens erat ad perniciem. quippe ita fit. veſtris periculis diſcunt, ipſi ſecuri; & hoc ipſo felices, quod proſperos eorum ſucceſſus Sol aſpicit, adverſos tegit tellus. Mihi crede, una hæc ars triſtiſſimis experimentis conſtat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

conſtat, & ab omni ævo.

πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι
προΐαψεν
ἡρώων, id eſt,

*Multas heroum triſtem demiſit
ad orcum
Illuſtres animas.*

ne tu ab irato Achille ſolùm id fieri putes. Poſt hæc tres ſacrorum miniſtros notat Mercurius, quos obtorto collo ægrè abduxerat è terris. adeo vitę dulcedine capiebantur, qui ſemper mortis contemptum, & meliorem in alio quodam orbe ſortē prædicaverant. Nunc lamentabili voce illud idētidē ingeminabāt,

*Linquenda tellus, & domus, &
placens
Vxor.*

Cæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Cæteri de philoſophis erant. de quibus Mercurius, Famelica, inquit, hominum natio hæc eſt, &, niſi cum moriuntur, nihil rectè faciunt. oſſa quidem iſti atque pellis toti erant, & plus quam triginta dies uno eſuriebant menſe. quin in bilancem unâ omnes coniecti vix ſcrupulum pendebant, atque exta in ſole etiam inſpicere licuit. Ego homines curioſa intuebar diligentia. plerique vultu & inceſſu morbum fatebantur. magna omnibus tacendi erat libido. Vnus tamen Menippo adhæreſcebat, haud ignotus mihi. nam in vicinia mea, tribus cauliculis, & ſelibrâ farris, ſub tegulâ unâ, diu divam ſapien-

pientiam aluerat. Is quinque ſyllogiſmos expromit, & multa Cynico, quæ mecum ignorat, probare nititur. Tandem, cum in artis ſuę oſtentatione oppidò quam ineptus fuiſſet, Menippum, uti defenſor ſibi & patronus ſit, rogat. Non aſpernatus preces eius ſenex, Tibi quidem, mi homo, inquit, tantum opis, quantum optes, feram: nam, ſi quantum dignus es, dicam, nullus eris, & ſtatim ad me ſubmiſſa voce, Adoleſcens, ait, hic vero ille eſt, qui poſtquam exheres vitæ ſuę factus fuit, omnes Belgæ nugandi finem fecere. Adhuc iocabatur Cynicus, cum ſummoveri proceres adventiciam iubentur

tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

turbam, & cœpta peragunt. Ibi Mirandula, credo in miſerationem ex ira verſus, pauca adverſus Agricolam dixit,

NE AD faſtos rediret, neu virtutem æſtimaret annis. cuncta, quæ nunc antiquiſſima habentur, olim nova fuiſſe. etiam his aliquando pretium ab ævo fore. naturam mortalium hoc quoque nomine pravam ac ſiniſtram dici poſſe, quod plerique ingenijs ſepultis plauderent, & acceptum aliquid ferre erubeſcerent minoribus. hinc veterea ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe. Et quo tandem conſilio ingenijs modum ponerent? multa enim nondum inventa eſſe, quæ, ſi utilia ſint,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſint, ſterni haud debeant. Eleuſinem ſervare ſemper quod oſtentat reviſentibus; neque ſacra ſua ſimnl edocere. *Poſtremo, cogitarent non ſtatim deterius eſſe, quod diverſum eſt. cætera, quæ vacuas mentes tenuiſſent, iam vulgata eſſe omnia. ergo aliјs diverſam viam tentandum, quâ præclari facinoris famam quærant.*

Mirabantur omnes quid tam repente Pici animum mutaviſſet: & urbanè Petrarcha lineam adverſus eum popoſcit. Haud deerant tamen qui ſententiæ eius accederent: etſi maior pars exilium decernebat. At princeps amplius deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

deliberandum dixit : quippe ſibi nondum liquere. &,

Dî manes, inquit, *quis vos ardor agit? omnia non properantibus rectius procedent: feſtinatio inconſulta eſt & præceps. Vtique ſcitis hos univerſos ſapientiam profiteri, reſque eorum ad Divam Sophiam pertinere, quæ in terris adhuc eſt. Eam per Diogenem evocavi, idque adeo ob aliam cauſam. Nam quia de Theologis, maiorum gentium ſapientibus, agẽdum tandem eſt, quorum nunc latè imperium valet; ex ipſa rem omnem & crimina diſcere malui, ne publicum bonum ira aut privata gratia vinceretur. Simul iſtis quoque imi ſubſellij viris, & patellarijs magiſtris ius dicet.*

Hæc pronis animis accepta ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſunt. quippe lætabantur omnes repertum tandem aliquem, qui contra gentem, ut putabatur, ſacroſanctam, & omni maiorem exceptione, oculos attolleret. Nemo hercle quiſquam tantum facinus ante eam tempeſtatem auſus erat. Non multo poſt advenire divam Sophiam cum pulcherrimo comitatu videmus. Exhorruerat animus cunctis Theologis, quippe ſpei minus videbant, quam vellent. Inter pediſſequas Alethea erat, incanis crinibus, & caperatâ fronte, ad hoc, Parrheſia, & Sophroſyne, & læto ſemper vultu Eleutheria. Adſtabat Divæ Diogenes, de via feſſus. Is anhelo ſpiritu, cauſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſam diuturnæ moræ principi non ſine irâ exponit, & ſic infit,

Tu vero maxime ductor populi, noli poſthac Cynicam gentem ita ſpernere, uti eos in lucē nunquam, niſi ad moleſtiſsima miniſteria protrahas. Boni civis operam tibi promiſeram, non ſervi: nec minus liber, quàm veſtrum quilibet, ſum, etſi cum baculo & perâ ambulo. Quid autem divam hanc quærere aliud, quam Herculis labor fuit? Ecce multo lãguore confectus ſum, dum Theologorum familias perrepto. Et tamen, cum diu me fatigaveram, hanc quidem nuſquam, cæterum apud ſingulos falſam imaginem, & quandam eius umbram reperio. Aliÿ enim mulierem incultã, ſitu & pedore ſqualentē oſtentavere.

vere. pars virginem producunt omnibus ſimulacris emendatiorem, quæ facie medicatâ inceßu ad numerum compoſito, formam proſtituebat, uti venderet. Ad ſummam, ſenſi ego fucum ubique mihi fieri. Quare iam reditum parabam: cum, ecce, commodum ipſa ſe offerebat, credo ex aliqua ſolitudine prodiens. Eam vos, Dî manes, ſi lubet, porrò audite. nam me iam vox deficit.

Dixit hæc Cynicus, & ægris iam genibus, humi caninum in morem, procubuit. Omnium ora oculique in Divam converſi ſunt; quę pediſſequas ſuas, comiteſque omnes ſupereminebat. Ingens ſilentium factum eſt. Mox ipſa, maius quiddam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dam mortali ore ſonans, digitis gubernantibus vocem, ſic orſa eſt.

BENE *atque ſapienter, Dî manes, Theologorum factioni tandem ire obviam decreviſtis; quorum iniurijs, contumelijſque ſic accepta ſum, vt ubivis eſſe, quam in regno meo malim. Omnia late homines inquieti contentioſique tenent, qui haud me ſanè, ſed pellices meas ſecuti, ſacra noſtra religioneſque iocum & riſum fecêre. Equidem apud eos meorum inſtitutorum nec volam, nec veſtigium reperio. Plerique enim primis annis tonſores fabrique, & ſutrinæ alumni ſunt, aut denique ſervilibus officijs intenti, in obſcuro vitam agunt. ibi adoleſcentiam ſuam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſuam exercent. Poſt, ubi ſacerdotes meos, ceremoniarumque antiſtites eſſe in magno honore cernunt, (nam aſſurgit ijs populus, increpantes metuit, dicto cuncti audientes ſunt) rati ſcilicet, id quod res eſt, longè hoc pulcherrimum eſſe, ad ſimilem dominatum maxima ope nituntur. Hic mihi nemo vigilantiam, laborem, indefeſſum doctrinæ ſtudium exſpectet. gravia hæc ſunt, & viris relinquenda, ipſi breviore via, dolis atque aſtu contendunt. Scitis utique quam facile iſtud ſit, obſtipo capite incedere, ſententiolas aliquot ingenti verborum volubilitate fundere, vultum induere triſtem, & ſeverum; & alia huiuſcemodi, quæ promittunt magnam ſapientiam. Ad hæc fingenda non nati, ſed ab

aliquo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

aliquo deo facti videntur. quippe inſitum illis eſt, quanto magis falſa ſunt, quæ fiunt, tanto plura facere. *Adeo nihil eſt, quod ars & labor efficere nequeat, cum etiam naturam, rem ſimpliciſsimam, ſuperet affectatio. Igitur primum imperitæ plebi illudunt, apud quam ſummâ ſecuritate, & ingentibus præmijs peccatur. hanc curis vacuam, ſine veri falſique diſcrimine in veſte & habitu ſtupentem, blandâ oratione trahunt in omnem partem. Sedet circumfuſa multitudo, atque aures, ceu flabellum, adducit diducitque, & quicquid audit, probat. Quod mihi neutiquam novum videtur. Quotus enim quiſque etiam è ſapientioribus reperitur, qui rem celſam, & propemodum divinam, in*

quâ

quâ felicitatis ſumma eſt poſita, ſibi vendicet, NIHIL ADMIRARI? *Horreſcit mihi animus, cùm mecum cogito, magiſtros rudes & indoctos ea, quæ nondũ ſatis exploratè percepta ſint & cognita, veluti certa affirmare. Multum caliginis res divinæ habent,* ſanctiuſque & reverentius eſt de ijs credere, quàm ſcire. *Procul enim ab oculis noſtris lucidas incolit ſedes maieſtas ſummi numinis, & regnum ſuum, ſeque ſine arbitris regit. Pauca duntaxat oracula adflatu eius inſtinctuque fudere viri ſancti; quæ ſi aperta & clara forent, melius atque tranquillius ſeſe res mortalium haberent. Nunc, cum eorum cognitio multis ſit obſtructa difficultatibus, nemo tamen in his tenebris,*

NB

E *& al-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

& altâ in nocte cæcum ſe cogitat: ſed, quàm quiſque minimum intelligit, tam maximè fidens eſt. Hinc, Dî manes, illæ ſunt lachrimæ. De rebus obſcuris omnes, ceu de certis, iudicant, & ad quamcunq; ſunt ſententiam, quaſi tempeſtate, delati, ad eam, tanquam ad ſaxum, adhæreſcunt. *Neque mihi ſatis conſilij eſt, væcordiam, an ſuperbiam eam appellem. Nunquam enim perperam aliquid didiciſſe volunt videri, ſcilicet, quaſi immane crimen foret, à cognito & damnato errore diſcedere, & quæ male alios docueris, dedocere. Quod ſemel dixerunt, qualecunque eſt, fixum ratumque manet. Ita, quod vnum supereſt, pertinaciã induunt pro cauſâ, regnumque ſibi vi atque*

factionibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

factionibus muniunt. Ad hoc, quod longè peſſimum exiſtumo, fœcunda admodum res eſt falſa opinio, neque vnquam illîc, vnde cœpit, ſtat. Continuò enim, qui a vero declinant, in partes ſe ſcindunt varias, diſſenſionibusque pugnant, atque vno ex errore infiniti, diverſi omnes & contrarij naſcuntur.

Non mihi ſi linguæ centum
    ſint, oraque centum,
Omnia ſectarum percurrere
    nomina poſſim.

Cauſa atque origo hinc inde penes authores cuiuſque eſt, qui ſuperſtitione captas mentes, velut furialibus ſtimulis agunt. Nihil in ſpeciẽ fallacius eſt, quam religio. Etenim quiſquis Dei numen obtendit, ſtatim efficit, vti cæteri credere, quã

 iudi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

iudicare malint, illudque habeant ratum, quod ab eo, quem ſequuntur, ſemel audivere. In huius verba ſacramentum iurant: huius ſomnia & deliramenta amplecti, certum omnibus obſtinatumque eſt. Quæ eſt omnino ſervitus, ſi hæc non eſt dicenda? aut quid liberum eſſe ijs amplius poteſt, qui, quod præſcriptum & quaſi imperatū eſt, defendunt ex neceſſitate? Equidem fortuna in vitâ hominum ludit, alijſque aliam perſonam, uti eius lubido fert, imponit. hos eſſe ſervos, illos dominos, quoſdam ſui iuris vult. Equites, libertinoſque, & mancipia ſcio, aliaque nomina ex ambitione aut ex iniuriâ nata. Verum hæc, dî manes, ſi rectâ via rem reputatis, in totum hominem non deſcendunt. Animos enim ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

veſtros ex æternis ignibus derivatos, imaginem partemque ipſius Dei, ſpectate. Omnes eâdem conditione ſunt. hos ſemper & ubique ſcitote liberos fuiſſe, non ex iure Quiritium, ſed ex iure naturæ. Quid eſt igitur? Tyrannorum dira & execrabilis poteſtas eſt, qui in corpora tantum veſtra, & in terga ſæviunt, eoſque qui olim ſuſtuliſset, divinis honoribus colebatur. Vos quo odio illos eſſe dignos creditis, qui in mentem cuiuſque adfectant imperium, nobiliſſimamque partem, quæ ſola mancipio non datur, ſervire docent? Me quidem eorum vehementer & piget, & pœnitet. Itaque fatigata manus do, locumque ijs facio, uti ſe iactent vacua in aula, ac ſuomet ipſi more præcipites eant.

Aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Aliud regnum, aliasque ſedes quæro; quas vbi terrarum reperiam, nimis incerta ſum. Ciues quidem meos in poſterum nullos, niſi eos agnoſcam, qui & libera eſſe iudicia patiuntur, neque vnquam vltra id, quod veriſimile occurrerit, procedunt. Eſt enim ægris mortalibus, ſicut cæterarum rerum, ita & ſcientiæ poſitus modus. & me, cum in terras Deum hominumque mitteret rex, nec totam patere, nec ab omni parte eſſe clauſam voluit. In veſtibulis templi mei hærere ius faſque eſt. illa arcana, quæ in interiore ſacrario abdita ſunt, fruſtra cernere laborant.

Stabam inter hæc ego, & Divæ poſtrema verba voluebam

bam animo, incertus planè quo me lare deinceps tuerer, quémve ſequerer ducem. nam qui antea nulli magiſtro credideram, nunc hercle multò eram factus timidior. Dum hæc agito, non fefelli Sophroſynen, pulcherrimam omnium nympharum, quas ſecum Diua adduxerat comites. Ea poſtquam ſe applicuit ad me,

Quoniam, inquit, *ad hominum cœtus iam redis, & , quæ hic diſcis, in rem & ad vſum conferre potes, non celabo te maximum arcanum. Eſt quoddam genus hominum, idque vel maximè ingenium, qui rerum nec principia altè, nec fines exquirunt,*

 pulcherri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

pulcherrimamque amant ſcientiam, nihil admodum ſcire. Hos plerique veſtrum tardos, lentoſque & ſupinos dicunt. Quod contra eſt, nam & rerum gnari ſunt, & ſoli mortalium non ultra, quam ſatis eſt, ſapiunt. Sed vos virtutes ipſas inverſum itis, & iam dudum vera rerum amiſiſtis vocabula. Tu, qui bonam mentem amas, horum ut ſimilis ſis, pauca laudabis, nihil ipſe moliêris, omnium ſpectator eris. Sic enim cogita; in iſtâ ſapientium turbâte, quaſi in mercatus quadam celebritate eſſe: ubi, dum aliquid ſibi petit quiſque, & ſuo more deſipit, tu cæteris omnibus, quæ prima illi putant, pro nihilo habitis, viſendi tantum cauſa obambula, ſtudioſeque perſpice, quid agatur, & quo modo. Erra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

bunt cuncti tua ſine parte diſcriminis, viamque quærent latentis veri. Inprimis verò paucorum hominum ſis; nec vnquam populo autore aut arbitro probari tua velis. Quid de te iudicent, ipſi viderint: ſed iudicabunt tamen, malignè plerumque & perversè. Fruantur ſententia ſua, hæc enim contagio ex ipſa mortalitate contrahitur; nunquam, meliora quæ ſunt, multi ſequuntur. Adfirmo tibi, ſuaviſsima voluptas hæc erit, cum nihil intelliges ſolidum, nihil pulcrum, nec rectum quidem ex tanta concertantium molitione. Magnum eſt hoc, quod in rebus eſt poſitum, inane. In quamcunque te partem vertes, occurret tibi.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Quicquid ſcire ſe illi autumant, minus nihilo eſt. hoc vnum certum eſt, pleraque haud eſſe certa. *Quæ ſi obſeruabis, ſi ſtudia omnium non irâ, ſed riſu vlciſcêre, næ tu & mecum facies, & volentibus magnis Dîs, omne punctum feres.*

His auditis, inuadere pectus ſapientiâ plenum volo; cum illa ſomno ſimilis confeſtim in ventos receſſit. Itaque interrogare animum meum cœpi, an falsâ imagine deluſus eſſem: & timidiſſimo murmure, Dî immortales, aio, ſi unquam iterum tanto bono perfruar, habebo quod cœlo imputem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

imputem. Demum vt animum adverto, & ſubſellia aſpicio, ſenſi miram animorum inclinationem. Clamabat Eraſmus ſcripta ſua nunc de manibus excuti, odiumque ſui & infamiam tradi ſeculis, non aliam ob cauſam, quàm quòd prudenter dubitaſſet. Caſſander deſertorem ſe & prævaricatorem haberi, quòd inter infeſtas partes mediam quandam tenuiſſet viam. Eadem penè Melanchthonis querela. Cæteri quoque, antea aut metus, aut reverentia illius ordinis ſubegerat, vti ſe continerent, ij nunc, poſt Diuæ orationem, animis acceptis, ferociùs

E vj agita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

agitabant. Inter hos è Batavis vnus, ab eadem diſciplina homo, etſi recens in ſenatum lectus, tamen prǫloqui occupat. Sæpe ego puer admodum ſermonibus eius interfueram, cum ingenia ſuorum vernilia & putida inſectaretur, qui enim querulus eſſet, & cenſor caſtigatorque præſentium, vitio humanæ mentis, haud facile collegas ſuos ijſdem ſacris operantes tollerabat. Is nunc, ſermone nimium acri, totius rei ſcenam aperuit, &,

SI *cui veſtrum*, inquit, *adhuc dubium eſſe poteſt, an vera ſint, quæ audiviſtis; patriam meam, eoſque, qui iuxtà ſiti ſunt, populos videte. Verum Diva, quæ ad ſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſe pertinebant, dixit, reſque eas, quæ reconditis in diſciplinis, & in quadam ratione doctrinæ verſantur, perſecuta eſt. Quæ ego cuncta omitto. Vitam eorum atque mores narrare libet, neque verebor tam horribile ſecretum proferre in populum. Eſt illud primum ſapientiæ munus, patenti viâ populum ad virtutem ducere, cupidinem honeſti conciliare animis, facere vitiorum odium. Qua in parte non culpo hercle optimos viros. diligenter enim toto anno in hominum vitia perorant, voceſque magnificas, & ſaluberrima fundunt præcepta. Sed per deos immortales, quo illa res pertinet? Ipſi enim omnibus vitijs pleni, exẽpla ſe inutilis diſciplinæ circumferunt. Efficaciſſima docendi ratio eſt, vi-

vere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

vere vtì præcipis; eaque in primis hoc in ſe boni habet, quòd probat, quæ iubentur, fieri poſſe. *Quid mihi caritatem, concordiam, amorem mutuum laudant? monſtrabo quod rerum omnium primum eſt; faciant quæ dixerint. Non ignota loquor, ſed quæ in ſacellis noſtris vidi, & quorum pars magna cum dolore eram. Equidem quoties conciliabula eorum obivi, non aliam quam in ludo gladiatorio vitam cernere videbar. Adſunt vna in iiſdem templis, colloquuntur, res omnes ſimul adminiſtrant. mox alter in alterum leui compendio ducitur. Fingite ex hoc ignobili genere aliquot terræ filios,*

Et coniuratos cœlum reſcindere FRATRES,

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

inre dubiâ & levi a ſe invicem diſſentire. ſtatim eos mala mens, furorque væcors in ſimultates, bacchationes, & ſcenica maledicta aget. Velitis, nolitis, dî manes, aliter hæc ſacra non conſtant. Propria illius ordinis virtus eſt, animo feroci eſſe, in omnes incurſare, neminem metuere. Sed maxime ambitio animos eorum verſat. ea res conctas non ex bono honeſtoque, ſed ex libidine agere; ſpecioſis nominibus pium ſanctumque ſtudium ſimulare, cæterùm re ipſâ priuatam gloriam quærere, edocet. Ite nunc, Dî manes, &, qui manſuetudinem, modeſtiam, fidem, vilia habent, eos eſſe viros bonos dicite. Multis officijs ea res, magniſque laudibus continetur. neque continuò hoc nomen, qui ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

legem boni ſunt, meruere. Nimis anguſtis finibus hæc circumſcripta eſt innocentia. faciant quæ humanitas, quæ vita communis exigit; faciant quicquid extra tabulas publicas eſt, & boni viri, per me quidem, ſunto. Sæpe ego, in eodem ordine dum fui, quoniam me collegarum pigebat, de pravis illorum artibus, deque mala lubidine queſtus ſum. Pro qua re multa acerba atque indigna tuli. Neque id mihi uni contigit. Qui enim cunque aliqua laude excellerent, aut cogitatione eminerent ſupra turbam, eorum vividam animi vim, rectoſque ſpiritus frangere conabantur. ſive quod in alto ſua quemque naturâ delectat, ſive ne ſtudium omne vulgi ab indignis & non idoneis ad dignos & idoneos tranſferretur. Rem memora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

bo, ex quâ facile conſilia eorum æſtimetis. Nuper ex his quidam patres conſcripti (credo obſcuræ originis ſuæ memores. & quod nihil uſquam ingenuum occurrere vellent) decretum inter ſeſe fecere, vti qui de plebe hominum eſſent, quique precariò vitam, munificentia divitum, in ſtudijs diſciplinarum egiſſent, ijs ad munera, honoreſque ſacros primus aditus foret: cæteri poſt illos admitterentur. Profecto hoc verè eſt ceremoniarum maieſtatem & ſanctimoniam proſtituere. Etenim homines egeni, non qui idonei cenſebantur, ſed quorum miſertum eſt, ſapientiam velut aliquod artificium venale addiſcunt, & itã ſemidocti, cruda adhuc ſtudia propellunt in templa. Benè habet, dĩ manes. tandem ef-

fectum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

fectum eſt, vti in luce hominum viuant. Iam multorum opinione beati ſunt, niſi quod nondum ſunt ſuâ. Res inquieta eſt in ſe ipſam, noua felicitas. nondum licet viuere ſecuris.

Hîc illa primùm Veneris dulcedinis in cor-
Deſtillat gutta, & ſuccedit frigida cura,

vxor domum ducenda eſt, vti tantarum rerum conſors ſit; tollendi liberi, in ſpem eſuritionis. Eſt profectò huic generi, quâdam fati lege hæc facilitas data. blandiſſimam vim, quæ dîs hominibusque per pectora incutitur, multo citius, quam cætera gens mortalium, ſentiunt. Sæpe illud clamaui, ſufflaminandi eſtis, in furias ignēque ruitis. ſed fruſtra fui. ferme

enim,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

enim, antequam pueri eſſe deſiiſſent, mariti erant, & infirmis adhuc annis gerebant

Prælia coniugibus loquenda.

Tanti putant, nihil ſibi negare, vti intempeſtiue multi præcipitent virum, &

—animas in vulnere ponãt.

Nunquam finem dicendi feciſſet Batavus, liberrimi oris homo, ni loquentem interpellaſſet ex adverſis ſubſellijs alius quidam, ingenio haud abſurdo. Is medio illius ſermone,

Dî manes, inquit, *cauete ne vos verba fallant invidioſa, & rei exaſperandæ conquiſita. Nã quod ille maledictum vehemens exiſtumat, eam laudem ego illorum duco*

maxu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

maxumam. non hercle, quod amori, potentiſsimo affectuum, obtemperent. quæ tamen una res illis ad veniam ſatis iuſtas cauſas haberet. quis enim non meminit ad hoc ſacramentum ſe adactum eſſe, ſequi naturam? aut quid eſt omnino uſquam, quod homo maſculus libentius videre debeat, quàm bellam uxorem? *Verûm non vtar ijs ad defenſionem. Alia maiora ſunt. Totum hoc univerſum ſapiens, nō vt patriam, ſed vt familiam ſuam intuetur, eam familiam ornare, augere, ſtabilem firmamque facere, prima eius laus eſt. Hoc conſilium, ſi forte neſcis, præclare orator, fratribus tuis eſt, uti numeroſa proles ſurgat, uti homo prodeat, pulcherrimum animal,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

---& quod dominari in cæte-
ra poſſit.
Hîc mihi aliquis libidinem aut voluptatem nominat? Dij meliora pijs. iste error hoſtibus eorum ſit. ipſi duro vultu gaudia admittunt: neque ſibi, ſed mundo mariti, mundo patres ſunt. Vtinam vero neceſſe non foret, aſsiduam humani generis iacturam hâc diligentia reparare. Ecce, multa hominum millia puncto temporis cadunt. & ad tam immanem ſtragem vna modo peſtilentia, aut bellica acie opus eſt. At contra, vix novem menſibus edolatum unum reddunt puerum duo coniuges. *An aliud ſperamus, quam Scytharum deſerta brevi per orbem fore, niſi quotannis humana vis, & ſolers cura obſiſtat? Adde,*
quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

quod deorum ope, & ſuâ virtute, feliciter veſter ordo præ cæteris rem hic gerit. Quare cenſeo vti præmium, non pœna ſit veris PATRIÆ PATRIBVS, *quibus ad iuuandum bonum publicum nec ſanctus ardor vnquam defuit, & mire ſemper adeſt fortuna.*

Numerare equidem inter monſtra cœpi, in procaciſſimo ſermone tam diſcordem vultum. triſtis enim ſeueritas aderat, & faciliùs ignem ex homine exprimi poſſe ſperaſſes, quam riſum. Theologi, vbi vident, ſecus ac rati erant, eò rem veniſſe, vti pro deridiculo eſſent, tardè, imò ſerò intellexere, in terris ſe
rerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

rerum dominos fuiſſe. illic non eſſe ſibi idem honoris. Potuiſſes experimento diſcere, vulgò nos, vti res cuiuſque ſunt, ita magnos atque humiles eſſe. Non ira in oculis cuiquam, non ſolita ſuperbia in vultu reſidebat. tam placidi fuêre, quàm oves. Sed maximè taciturnitatem mirabar. funerata pars illa videbatur, quâ viri apud nos ſunt. Quidam tamen capita inter ſe contulere, vti rebus feſſis conſulerent. mox plures adrepunt, ſectæ quiſque ſuæ & diſſidij immemores. quippe animos commune periculum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

culum iunxit, inimicitiæ & ſi
multas pòſt fuêre. Nec mora
Electus fuit, qui omnium no
mine reſponderet, unus inte
primos honeſtus, forma ad
modum liberali, & cui vel ad
ſpectus erat muta commen
datio. tanta in eo indoles vir-
tutis & modeſtiæ inerat. Hu-
ius in tutelam ſe committunt
Monent, uti rem non ſuam
ſed omnium agat. omittenda
eſſe cogitet, quæ in contro
verſiis poſita ſunt. non hi
nunc locum eſſe, ſi ſemel iam
evaſerint, deinceps ſe uno ani
mo fore. Ille, ne extremo i
tempore ſuis deeſſet, veniam à
principe petit, & conſtant
vultu hęc dicit.

INTER

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

INTER *miſerrimam fortunam, & non vnius accuſationem deſtituti, quid potiſsimum tacere aut quatenus proloqui nos deceat, ignoramus, Dî manes. Confuſa enim cauſa eſt, & crimina diſſimillima: ex quibus nos vt quædam fateri, quam defendere malumus, ita uti cætera inania eſſe intelligatis, dabitur opera a nobis. Equidem Sophia, ſanctiſſima divarum, cuius ego numen ſupplex veneror & colo, etſi iure pertæſa noſtri eſt, tamen leniter adverſus nos & benignè dixit. Culpam enim, quæ ſalsò noſtra eſſe creditur, naturæ aſſignavit; cui placuit, proh dolor, uti in maximarũ rerum ignoratione vitã ageremus. Quod ſi animus vaſtus, anguſtiarum, quibus clauditur, impatiens, nimis alta & ſupra ſe poſita veſtigat; næ id vitium proximè vir-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

tutem eſt, & generoſa pectora tenet. De pertinacia, poſſum dicere id, quod res habet; ab eadem origine eſſe. Nimirum idem omnes fallimur: amat quiſque quod eſt a ſe inventum: in hoc delicitas facit libidineſq́; & uti alijs carum idem ſit, ſumma ope nititur. Nihil circuitione utar. errare & decipi, & labi potuimus. quis miretur? homines ſumus, non dij. Si priſcas ſedes repetere per fata liceret, doceremus cunctos mortales id quod eſt difficillimum, tenere ex ſapientia modum. Nullum hic ſcelus noſtrum, nulla impietas eſt. Tantum modò temeritatem Diva & immodeſtiam damnavit. itaq́; ſi ſola ad dicendum proceſſiſſet, taciti ſuffragia veſtra expectaſſemus. Nunc indigne, & à quibus minime decuit, circumventi ſumus. Surrexere duo de noſtris, uti manus ſuas in nos,

hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

hoc eſt, in viſcera ſua verterent. Qui quando tales ſunt, audeant tandem, hortamur, rerumq; ſacrarum odium, & quicquid diu male in tenebris diſſimulatum eſt, palam & cælo teſte fateantur. Sunt, dÿ manes, ſunt in hoc ordine noſtro quidam, quibus religionem omnem ex vita hominum tollere libido eſt. eas divitias, eam pulcram victoriam, magnumque triumphum putant. Hoc uti faciant, vitia noſtra apud plebem, maloſq; mores culpant. mox, ubi pietatis fidē ſibi præſtruxere, cum magna mercede fallunt. Atq; hæc quidem a noſtris patimur, præter ius faſque. Nam quod cæteri, qui ad hæc ſacra admiſſi non ſunt, prophani homines noſtra noſque inſectantur, id nunc haud primum fit. Vetus ille morbus eſt, furere in virtutis magiſtros, & hanc mercedem rependere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſanctiſſimis viris. Non alios, quam vos, teſtes volo, dĩ manes. ſe quiſq; interroget. eadem experti eſtis. Publicè malignum in optimè meritos, ingratumq; ſemper mortale genus fuit. omnes umbram rectæ indolis perdidere,

—qua terra patet, fera regnat
Erinnys.
In facinus iuraſſe putes.

Et nos igitur noſtra fata magno animo feremus. undique petimur. quidam vi & impreſſione everſum nos eunt. alij clanculum maledictis lædunt. Inter ipſos literatos, qui nobilitare induſtriam ſuam vult, ſatyram in nos ſcribit: perinde quaſi ordinem noſtrum traducere, id demum eſſet ingenio uti. Neque nos propterea defetiſcimur tamen, aut opem ferre ægris mentibus ceſſamus, nam & deos, quos imitari par eſt, ſæpe ignoranti-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

bus, imo invitis, meminimus prodeſſe; & nobis rectè factorum primus ſemper maximuſque fructus fuit, feciſſe. Hoc illud eſt, quod ſeculo & orbi præſtamus. totius humanæ gentis pædagogi ſumus: & defenſorem mali ſui populum, quantum non deſperata perverſitas eius tardat, ad rectum iter admovemus. Quid hic invidiam nobis faciunt, & humiles, plebeioſque, ac mendicabula hominum aiunt? Nemo ad bonam mentem parandam pauper, nemo ignobilis fuit. Paucos ab omni ævo accepit illuſtres virtus, multos reddidit. Nam & ignotos obſcuroſq; dijs miſcuit, & plerumque rerum dominos tranſit,

Foreſque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina,

Equidem profecto, qui iſta nobis obij-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ciunt, quid tandem prætermiſſuri ſint, non reperio. Omnes latebras pervestigat malignitas, & ingenioſa eſt ad fingendum crimen. mox etiam, quod ambulamus, quod vocem mittimus, quod corporis muneribus perfungimur, conquerentur. Quæ vos, dî manes, nunc moveant, ne impiorum libidini bonos largiamini. Non aram, nec deprecatorem adverſus illos paramus. Si ſacra eſt magnorum meritorum memoria, ſi ullā apud vos innocentiæ pretium, ſuccurrite miſeris. Quod ſi pœna digni cenſemur, at ſaltem providete diligenter, ne erroribus noſtris vindicandis, divini iuris aliquid immixtum, violetis.

Multum iuvit deploratam cauſam tam præſtans advocatus, itaque, qui poſtremo ſententiam dixerant, ſuomet indicio, quaſi

ſorex,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſorex, perierunt, & noluiſſent huc exitum. omnium enim oculis notabantur. Iam voces diſſonæ per ſubſellia auditæ ſunt, iam ingens coronæ circumſtantis clamor erat, cum princeps motus componit, cæteroſque in ſuffragia ire, ac dein numerari ſententias iubet. Et profectò eo die, poſt conditum illud regnum, graviſſimum decretum factum foret, ni res inopinata conſilium diremiſſet. Quidam enim magnâ feſtinatione è vicino Tartaro accurrit, &, uti ad principem ſtatim adeat, omnium intereſſe ait. cedit multitudo. admittitur. Ibi exponit, Æacum regē ſuum ſocijs amiciſque, ſenatui populoque eruditorum ſignificare, uti armati inſulam ſuam defen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

dant, & fines latè cuſtode tuean-tur. adeſſe ingens periculum. omnes enim nocentes ſceleratoſque, qui inferno in carcere à mille iam annis clauſi fuiſſent, ruptis vinculis abijſſe, compertum ſibi ex coniurationis indice, beatam eruditorum inſulam invaſuros. Tum princeps, periculo exterritus, ſenatum dimittit, & ſingulos, uti viros ſe præbeant, monet rogatque. Vidiſſes cum riſu & ioco timidiſſimum hominum genus, umbræ aſſuetum, abiecta omni ſpe concurſare, & inter ſe conſulere, qua lege perire vellent. Stoicorum gens, & pauci è cæteris, pro ſolita virtute, erectiores erant. Inter theologos pugna fuit, pars pericula propulſare, alij manum in

ſinu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſinu tenere, & dijs committere rem malebãt. Qui inter eos ſceptici fuere, in neutram partem flectebant aſſenſionem, nihil ipſi interim ſtatuentes. Hic Menippus, quid ſtamus? inquit. etiam ſine nobis propugnabitur Ilium, & alioqui non inſolens audio huiuſmodi nuntios.

Hi motus animorum, atque hæc
certamina tanta
Pulveris exigui iactu compreſſa
ſileſcent.

ſimul à turba quam longiſſimè ſecedit, ac per vicina me circunducit loca, ubi deus aliquis benê advocatus res nobis obtulit novas. Erat inter cæteram planiciem mons ſaxeus, velut opere atque conſultò, præceps. in imâ parte peranguſtus trames ſe ape-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ruit. ad quem cum acceſſimus, audio murmur inſolitum, & fractas per ſinuoſum aditum voces. Ego, more humani ingenij, ſtudio ignara viſundi, Menippum rogo, uti exploremus receſſus. Perſecuti igitur ſonum, ſpiſſiſſimam noctem evicimus, ſecretumque loci intramus, ubi cives aliquot de plebe perpotabant. Domum natura, non ars fabricaverat. Vbique ſedilia e vivo ſaxo erant. in medio recens ſemper vini liquor ex perenni currebat fonte. nulla ſpecularia, neq; rimę admittebant diem. Itaque Menippus, cũ ad faces & cereos rem cernit geri, Eia, ſalvete, inquit, lucifugæ. quid agitis? ut peritis? mox ad me, dij boni, ait, quãti eſt ſapere! ecce, ne hæredis officium

cium deſiderent, ſibi iuſta faciunt. At illi largius merum iubent circumferri, noſque invitant. Non piguit me ineptias eorum notare, præ quibus nullos ludos ſpectaſſe velis. Nam ut omnium præcordia Liber aperuit, alius alium læti appellare; ſua quiſque dicta ſcriptaque ad cœlum ferre; cæteros ſpernere, poſtremo neque pudori, neque modeſtię parcere. id vitium eſſe quibuſdam aiunt, quos liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, ſibi placentes facit. Vnus ſupra modum ridiculus fuit, qui ſe delicium Muſarum, ſecum & natas & morituras literas iactabat. Huic qui proximus adſidebat, aurem glorianti commodat, voceſque eius

ite-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

iterat, & verba tollit cadentia; adeo docte hercules, ut mimus eſſe, & partes agere ſecundas videretur. Nunquam tam bene compoſitum par vidi. plane cum Bitho Bacchius erat. poſtquam diu creſcentem utrem inflaſſet, tandē, vir ſumme populi, inquit,

Qualem te patriæ cuſtodes dij
genuerunt,

dic, ſed fide tuâ, num & ego degener mundi incola ſum? num inficiandum ſeculo nomen? Nec mora, immanem pateram in medio poſuit; & dextra manu caput, ſiniſtra ſcyphum tangens, conceptiſsimis verbis in hunc modum iurat,

ITA MIHI SVPREMVS REX, DIQVE OMNES, *quos me vereri & metuere par eſt, propitij faventeſq;*

ſint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſint, ut mihi extra unum te, mortalis nemo magnus fuit, eritve. Quod ſi ſciens fallo, tum mihi aqua hoc poculum (dico, Iupiter, vt tu audias) totum impleatur.

Dein haurit uno ducto ſpumantem calicem, ac poſtremo vini iam plenus quiddam ſuffertum his verbis tinnijt,

εὐκτὸς ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος.
οὐ μελεδόινεται
ᾧ τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα.

Ex altera parte iuvenis quiſpiam vrbanioris notæ, ne ſileret ſine declamatione hilaritas, temulentiæ bona prædicavit.

Triſtem rem & anxiam eſſe, pectus ſiccum & ieiunitatis plenum. ubi in venas benignior ille ſuccus manavit, gratiorem ire diem. &

ſoles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

ſoles melius nitere. etiam priſci Catonis virtutem ſæpe mero perfuſam. ibi virum duriſſimum, coram quo Romam peccare puduit, frontem ſeveram & rugas explicuiſſe. Quod ſi ad doctrinæ templa tenderetur, neminem, dum apud ſe eſt, aliquid magnum & ſupra cæterorum mediocritatem, cogitare. mentem humanam, quodcunq; ſibi imperat, obtinere. nec tam alte aliquid conſtitutum, quo illa non poſſit eniti. tantum calore & impetu opus eſſe. quid autem hac inſania pulcrius eſſet, quæ dijs nos æquat, & ſacro inſtinctu extra rerum terminos fert? repeterent omnium ſeculorum memoriam. ecquod vnquam magnum ingenium ſine mixtura dementiæ vidiſſent?

Hæc taliaque cum ebriâ voce iactaſſet, omnibus iam crimen ſuum

ſuum voluptati fuit, attrituſque ſemel pudor non ſatietatem attulit, ſed incitamentum. Igitur læti porrò hilareſque agitant. ſcires facile ex hac nota literatorum eſſe, qui apud nos ſuctu vivunt, muſcarum in morem, quibus pro lingua data fiſtula eſt. Iuxta ipſam ſcatebram ſedebat ſacrificulus quidam, & manu, quantum poterat vini, excepit, bibitque. Is cum intellexit nuntium ab Æaco veniſſe, atque hinc res trepidas ubique eſſe, metum ingentem; ſtatim ſeditioſi ingenij homuncio, has turbas magnis conatibus oportunas ratus, Agite, inquit, quouſque proceribus obnoxij vivemus? non hoc natura nobis inſitum eſt, ſed uſu poſſidemur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

hæc eſt illa dies, qua rerum potiri licet. ſi viri eſtis, capeſſite rempublicam. Non longè abſtabam ego, & ad Menippum ſubrudens, En iecur ſacerdotis, inquam. Ille ut ſenſit, gladiatorio animo ad me affectat viam, & iratum caput commovens, librata à ſummo capite manu, Medius fidius iam perijſti, inquit. Ego, dum ictum declinabam, ſubito, quod in turbulentis ſomniis fit, expergiſcor, haud leviter iratus, quod tam lepidæ Fabulæ exitum non vidiſſem.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 29